DE COLONIIS OPPIDISQUE ROMANIS, QUIBUS IMPERATORIA NOMINA VEL COGNOMINA IMPOSITA SUNT.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM JENENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

JOHANNES ASSMANN

HAMBURGENSIS.

LANGENSALZAE.

TYPIS JULII BELTZII.

MDCCCCV.

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor **D. Dr. Gelzer.**

Jena, 3. März 1905.

Professor D. Dr. Eucken,
d. Zt. Dekan.

Si cuiusvis rei publicae seu populi princeps alicui oppido nomen a se ipso petitum imponit, semper illa re, principem illum se dominum vel monarchum, ut ita dicam, habere apparet; atque illi principes veteres, qui oppida in ipsorum honorem nominaverunt, fere semper tyranni, quos dixerunt Graeci, fuerunt, vel ei, penes quos summa omnium rerum erat. Ut exempla afferam: Philippus II, qui primus Macedonum regum summum imperium atque infinitam potestatem assecutus est, „Philippopolim" et „Philippos" oppida condidit atque ex se ipso nominavit. Filius deinde, qui dominum non solum, sed etiam deum se putabat, permulta oppida in ipsius honorem condidit atque nominavit. Quod exemplum diadochi, qui dicuntur, imitati sunt; qui ex ipsorum vel ex uxorum nominibus multa oppida, a se condita, nominaverunt; talia oppida sunt: Laodicea, Cassandrea, Antiochia, Antigonia, alia.

Apud Romanos similia inveniuntur. Ubi primum singuli viri ceteros auctoritate et potestate praecesserunt, seu dictatores seu triumviri vocabantur, illi etiam eo monarchi, ut ita dicam, se praestiterunt, quod ex ipsis atque in ipsorum honorem oppida nominaverunt, ut „Mariana", Corsicae oppidum, ad Marium spectat atque Pompeius duobus oppidis, in Asia minore sitis, nomen „Pompeiopolim" imposuit.

Caesar antem primum imperatorem et aliis rebus et eo se praebuit, quod permultis oppidis nomina, ex ipso petita, dedit. Imprimis in Gallia, Hispania, Asia minore multa oppidorum nomina, cum vocibus „Julio" seu „Caesare" composita, occurrunt, quae partim ad Julium Caesarem ipsum, partim ad Octavianum pertinent. Augustus enim, ut ceteris in rebus, ita illa in re Caesaris exemplum imitatus, item multa oppida, sive ab ipso condita, sive vetera, ex se nominavit, quod imprimis in Gallia apparet. Imperatores, post illum regnantes, idem fecerunt atque praecipue in orientali imperii parte multa oppida occurrunt, quorum nomina ex voce „πόλις" atque alicuius imperatoris nomine composita sunt.

Idem fere de coloniarum nominibus sollemnibus dici potest. Priusquam autem de illis cognominibus verba faciam, pauca de coloniis in universum proponere volo.

Duo coloniarum genera, nimirum Latinae et civium coloniae, discernenda sunt. Latinis ex coloniis nonnullae tantum, in Gallia Narbonensi sitae, quibus ius atque titulus coloniae Latinae ab Julio Caesare una cum „Juliae" cognomine data sunt, ad propositum pertinent. Omnes enim ceterae coloniae Latinae, quae ante annum 89. deductae sunt, illo anno civitatem acceperunt atque partim municipia, partim civium coloniae factae sunt. Illae quoque supra commemoratae coloniae, in Narbonensi provincia sitae, sub Augusto partim civium coloniae factae sunt, partim coloniae ius atque titulum amiserunt. In universum „colonia" vocabulum sub Augusto non nisi de civium coloniis usurpatur.

Civium coloniae prioribus temporibus in regiones modo expugnatas, imprimis autem in orae maritimae oppida deductae sunt; atque praecipue tertio saeculo Romani coloniis totam Italiam occupaverunt, ita, ut Cicero suo iure (de leg. agr. II 73) colonias propugnacula imperii appellet. Gracchorum autem aetate, ex anno 133, coloniae non iam, ut modo expugnatae regiones defenderentur et munirentur atque Italia Romanorum in cultum atque dicionem redigeretur, sed civibus victum prospiciendi causa deducebantur. Primo autem anno 100, lege Appuleia, non solum proletariis, sed etiam veteranis prospiciendi causa coloniae deductae sunt, quas Velleius (I 15) colonias militares appellat. Quibus temporibus proletarii atque capite censi, non, ut antea, possidentes cives deducebantur. In Italia agri dividendi aut divitibus, qui multa occupaverant, non iam victis populis adimuntur, aut proscriptionibus parantur.

Caesar primus, quod C. Graccho non contigerat, magno numero colonias civium in provincias deduxit, cum antea Carthagine et Narbone exceptis extra Italiae fines nulla colonia deducta sit. Illa ratione, qua prius Romani Italiam occupaverant, atque dominationi suae subiecerant, Caesar orbem terrarum Romanorum in cultum, linguam, dominationem redigere coepit, quod sequentes imperatores perfecerunt. Caesaris et Augusti aetate multae et civium et veteranorum coloniae in provincias, imprimis in Hispaniam, Galliam, Asiam minorem deductae sunt. Post Augustum autem tantum veterani, non iam cives, deducebantur atque postea, fere ex Hadriani temporibus omnino verae coloniae, Septimio Severo excepto, deductae non sunt; sed modo quibusdam oppidis titulus atque ius coloniae donata sunt. Ab Augusti enim aetate coloniae paulatim summum locum omnium rerum publicarum atque civitatum obtinere coeperunt; tria enim privilegia sive beneficia accipiebant: libertatem aut immunitatem aut ius Italicum.

Caesarem primum et magno numero in provincias deduxisse colonias et quibusdam oppidis modo titulum coloniae imposuisse

vidimus. Quibus duabus de causis ille antecedentibus dictatoribus excellit, sed accedit aliud. Bellis civilibus singuli viri reliquis praecellunt et factionum principes atque dictatores evadunt et imperatorum locum obtinere videntur, ut Marius, Sulla, Pompeius, Caesar, Antonius, Octavianus. Qui viri, quantopere monarchos se putaverint ex eo apparet, quod nonnullis coloniis, quas suo arbitrio deducebant, ipsorum aut nomen gentile aut cognomen imposuerunt. Gracchus iam nonnullis coloniis, a se deductis, peculiaria cognomina, a deis petita, dedit; ut Carthago „colonia Junonia", atque Tarentum „colonia Neptunia" nominatae sunt. Marii autem atque Sullae coloniae nonnunquam praeter peculiare illud cognomen etiam deductoris nomen gentile sive cognomen acceperunt. Occurrunt coloniae „Marianae", „Sullanae", „Corneliae"; Pompeii, ut exemplum afferam, „colonia Veneria Cornelia" nominata est. Caesar autem fere omnibus coloniis, a se deductis, quarum numerus non ita parvus est, „Juliam", perpaucis „Caesaream" cognomen imposuit. Nonnullis coloniis etiam praeter „Juliam" peculiare cognomen dedit; ut Urso: „colonia Julia Genetiva Urbanorum" atque Narbo: „colonia Julia Paterna" dictae sunt Qua de causa item Caesar primus imperator habendus est, cuius exemplum Augustus et ceteri imperatores imitati sunt. Augustus multis coloniis aut „Juliam" aut „Augustam" cognomen dedit, aut ambo simul. Plerumque solum „Julia" cognomen ante annum 27, quo Octavianus „Augusti" nomen sibi imposuit, datum est; post annum 27 plurimae coloniae, quas imperator deduxit, „Augustae" dictae sunt; „Julia" et „Augusta" cognomina autem raro uno tempore ab Augusto imposita sunt. Quod exemplum imitati imperatores, post Augustum regnantes, coloniis, a se deductis, aut coloniae iure donatis, cognomina ab ipsis petita imponebant, plerumque unum, nonnumquam duo, raro tria cognomina eodem tempore.

Quibus igitur de causis supra expositis Caesar nobis primus imperator habendus est atque ab illo initium ducere mihi proposui.

Primo in capite agam de coloniis oppidisque, quae ex Caesare et Octaviano, priusquam Augusti cognomen sibi imposuerit (58—27 a. Chr. n.), altero in capite, quae ex Augusto (27 a. Chr. n. — 14 p. Chr. n.), tertio in capite, quae ex imperatoribus, post Augustum usque ad Constantinum regnantibus (14—337 p. Chr. n.), nomina vel cognomina acceperunt; atque in singulis imperatoribus tractandis primum de coloniis, deinde de ceteris oppidis, quae ex illis nominata seu cognominata sunt, disseram.

Caput primum.

Caesar et Octavianus (58—27 a. Chr. n.)

A. Coloniae, quae ex Caesare seu ex Octaviano ante annum 27 sollemnia cognomina acceperunt.

Italia.

Istria.

1. Pola = col. Pietas Julia.

Pola oppidum prope promunturium Polaticum ad maris litus situm erat. Quo de oppido apud Plinium (nat. hist. III 129) haec legimus: „colonia Pola, quae nunc Pietas Julia, quondam a Colchis condita." Mela (II, 3) item Polam fuisse Romanorum coloniam testatur atque in titulo Polensi (C. I. L. V. 8139) colonia Julia Pola Pollentia Herculanea" occurrit. „Herculanea" cognomen modo hoc loco reperitur, cum colonia etiam in alio titulo (C. I. L. V. 83) „Pollentia" dicatur; „Pietatis" cognominis Plinius solus auctor est. Propter „Juliae" cognomen colonia aut a triumviris aut a solo Octaviano, priusquam „Augusti" cognomen reciperet, deducta esse videtur; fortasse anno 33, bello Illyrico confecto. De Julio Caesare autem deductore ideo cogitandum non est, quia Plinius, quod attinet ad Italiam, tantum illas colonias, Agrippae laterculos secutus, attulit, quarum in deductione Augusti aliquae partes fuerunt (Plin. n. h. III 46).[1]) Cum apud ceteros chorographos, in tabula Peutingeriana, in itinerariis oppidum modo „Pola" audiat, cognomina „Pietas Pollentia Herculanea Julia" tantum publice usurpata esse videntur. Plinius, quippe qui Agrippae Augustique indices secutus sit, saepe sollemnia nomina affert, quae Augusti aetate publico in usu erant. Cognomen „Pietas" sine dubio pertinet ad Augusti erga Caesarem patrem pietatem. Haud scio an non „Herculanea" et „Pollentia" cognomina etiam ab Octaviano coloniae sint imposita, cum plerumque praeter Juliae Augustaeve cognomen unum tantum peculiare cognomen eodem tempore adiectum sit.

2. Parentium = col. Julia Parentium.

Parentium oppidum, Istriae in ora prope Polam situm, a Plinio, (n. h. III 129) modo: „oppidum civium Romanorum"

[1]) Otto Cuntz: de Augusto, p. 21.

dicitur; deinde apud Ptolemaeum (III 12, 3), in itinerario Antonini (p. 271) apud Stephanum Byzantium, in tabula Peutingeriana oppidum item colonia non vocatur. In titulo autem (C. I. L. V. 335) reperitur: „col. Julia Parentium“; eodem igitur, atque Pola, tempore Parentium colonia Julia factum esse videtur. Cum Parentium apud Plinium colonia non dicatur, Otto Cuntz [1]) coloniam postremis demum Augusti annis, certe post annum 12 a. Chr. n. esse deductam censet. Plinius enim Agrippae censum in coloniis enumerandis secutus est, ut modo vidimus, quem censum, quod ad Italiam pertineat, intra annos 31—20 a. Chr. n. esse conscriptum Otto Cuntz l. c. ostendit; praeterea Agrippa anno 12 a. Chr. n. mortuus est. Qua de causa ille vir doctus Parentium „coloniam Juliam Augustam“ esse appellatum ab Augusto post annum 12, „Augustae“ cognomen autem in titulo excidisse censet; quod mihi probabile non esse videtur. In titulis enim plerumque plenum sollemne nomen occurrit atque imprimis in Augusti coloniarum nominibus „Augusta“ cognomen paene nusquam omissum est. Potius ergo Plinium hac in re errasse putem, quod illi saepius accidit. „Julia“ cognomen utique tantum publice usurpabatur.

Venetia.

3. Concordia = col. Julia Concordia.

Concordia oppidum, prope Aquileiam ad Lemenem flumen situm, a Plinio (n. h. III 126) et Ptolemaeo (III 1, 25) dicitur: „colonia Concordia“, cum apud Melam (1 4), Strabonem (p. 214), in itinerario Antonini (p. 126, 128, 281), in tabula Peutingeriana modo: „Concordia“ audiat; sollemne nomen „colonia Julia Concordia“ tantum in titulis (C. I. L. III 5238, V 1884, 1901, VI 1622) occurrit. Caesaris aetate Concordia vicus erat; [2]) Colonia autem a triumviris aut ab Octaviano imperatore ante annum 27 deducta est.

Gallia Cispadana.

4. Parma = col. Julia Augusta Parma.

Parmam oppidum (sic fere constanter apud auctores dicitur) anno 183 civium coloniam esse factam Livius (39, 55) refert. Denuo ab Octaviano colonia eo deducta est; in titulo enim

---

[1]) „De Augusto“ p. 22.

[2]) C. I. L. V p. 178.

(C. I. L. XI 1059) oppidum audit: col. Julia Augusta Parmensis; deinde Plinius (n. h. III 115) Parmam coloniam dicit. Quamquam tituli, in quibus solum „Julia“ cognomen occurrat, non reperti sunt, tamen tales exstitisse verisimile est, cum Beneventum quoque in titulis modo „colonia Julia“ modo „colonia Julia Augusta“ audiat. Ab Augusto enim ulli Italiae coloniae et „Juliam“ et „Augustam“ cognomina simul esse imposita probabile non est. [1]) Praeterea apud Ravennatem geographum, qui septimo fere saeculo floruit, modo „Julia“ cognomen conservatum est, qui oppidum (IV 43): Parmam Juliam Chrysopolim vocat. Augustus certe post annum 27 denuo coloniam auxit atque tum „Augustae“ cognomen adiecit. Sine dubio nec „Julia“ nec „Augusta“ cognomina volgaria erant.

Liguria.

5. Dertona = col. Julia Dertona.

Dertona oppidum, in Liguria ad Olubriam flumen situm, a Plinio (n. h. III 49) vocatur: „colonia Dertona“, apud ceteros chorographos (Strabonem p. 217, Ptolemaeum III 1,31, Steph. Byzant) autem modo „Dertona“ nominatur. In titulo urbano (C. I. L. VI 1636) legimus: „Julia Dertona“ et in Dertonensi (C. I. L. V 7376): „col (Julia A)ugus(ta) Der(tona); sed lectionem illam parum certam et fortasse interpolatam esse Theodorus Mommsen [2]) censet, ita, ut illi titulo nihil sit tribuendum. Colonia ab Octaviano post Actiacum, aut a triumviris post Philippense proelium deducta est.

Etruria.

6. Pisae = col. Julia Obsequens.

Pisae oppidum, ad Arnum flumen situm, ita audit apud plurimos auctores; colonia dicitur a Plinio (n. h. III 50), Ptolemaeo (III 1,43), deinde in decretis (C. I. L. XI 1420, 1421). Anno 218 Pisas Latinam coloniam factas esse Livius (40,43) refert; postea autem ab Octaviano civium colonia eo deducta est, cui nomen „Obsequens Julia“ impositum est, ut apparet ex decretis modo citatis, quae paulo post annum 4 p. Chr. n. facta sunt. „Obsequens“ cognomen fidelitatem atque oboedientiam Pisanorum significat. Oppidum non nisi sollemniter „Julia Obsequens“ vocatum esse videtur.

---

[1]) Mommsen, Hermes XVIII p. 185, sq.

[2]) C. I. L. V p. 832.

7. Sena = col. Sena Julia.

Sena, quae in via Clusio Florentiam ferente sita erat, apud veteres scriptores perraro commemoratur. Plinius (n. h. III 51) et Tacitus (histor. IV 45) oppidum „coloniam Seniensem" vocant, quod in tabula Peutingeriana: „Sena Julia" et apud Ptolemaeum (III 1,49) modo: „Σαίνα" audit. Propter „Juliae" cognomen Senam aut a triumviris aut a solo Octaviano coloniam esse deductam probabile est. „Julia" cognomen, quod non nisi in tabula Peutingeriana commemoratur, non ita usu tritum fuisse videtur.

8. Castrum Novum = col. Julia Castrum Novum.

Castrum Novum, ad Tyrrheni maris litus prope Centumcellas situm erat. Oppidum apud Livium (36,3), Melam (II 4,9), Plinium (III, 51): „Castrum Novum", in tabula Peutingeriana et itinerario Antonini: „Castro Novo", in titulis autem (C. I. L. XI 376, 377, 378): „colonia Julia Castro Novo" nominatur. Castrum Novum fuisse coloniam maritimam Livius (l. c.) narrat; iterum eo coloniam esse deductam tituli allati demonstrant; sed de auctore secundae deductionis certari potest. De Octaviano dictatore ideo cogitandum non est, quia Plinius, qui tantum eas colonias, in Italia sitas, quarum in deductione Augusti fuerant partes, affert, Castrum Novum coloniam non dicit. Potius igitur Julius Caesar dictator censendus est deductor. In illis tribus titulis, Gallieni aetate conscriptis, oppidum audit: „colonia Julia", cum in aliis titulis (C. I. L. XI 3580, 3581) coloni modo „Castronovani" dicantur.

9. Lucus Feroniae = col. Julia Felix Lucoferonensis.

Lucus Feroniae oppidum, prope Soracte montem situm, apud Plinium (n. h. III 51) et Ptolemaeum (III 1,47) colonia dicitur; apud Strabonem (V p. 226) legimus haec: „Ὑπὸ δὲ τῷ Σωράκτῳ ὄρει Φερωνία πόλις ἐστίν, ὁμώνυμος ἐπιχωρίᾳ τινὶ δαίμονι, τιμωμένῃ σφόδρα ὑπὸ τῶν περιοίκων, ἧς τέμενός ἐστιν ἐν τῷ τόπῳ, θαυμαστὴν ἱεροποιίαν ἔχον." Dionysius (III 22) et Livius (1,30) tantum de luco non de civitate referunt; postea autem Lucus Feroniae certe civitas erat; in titulo enim (C. I. L. XI 3938) oppidum „col. Julia Felix Lucoferonensis" nominatur. Loco igitur, quo fuit lucus Feroniae, civitas Lucoferonensis ab eo, qui Juliam coloniam eo deduxit, instituta esse videtur; quam coloniam Octavianus deduxit, ut ex

Plinii testimonio apparet. Cognomina Julia Felix tantum publice usurpabantur.

10. Sutrium = col. Coniuncta Julia Sutrina.

Sutrium, prope lacum Sabatinum situm, apud chorographos semper ita audit; quod in oppidum post septem annos, quam Galli urbem ceperint, coloniam Latinam esse deductam Velleius (lib. de coloniis) testatur. Plinius autem (III 51) oppidum „coloniam Sutrinam" vocat atque in titulo pontificum Sutrinorum (C. I. L. XI 3254) plenum atque sollemne nomen: „col. Coniuncta Julia Sutrina" reperitur. Anno 41 Agrippam Sutrium, quod L. Antonii partes secutum erat, cepisse Appianus (b. c. V 31) refert; tum fortasse ab Octaviano civium colonia eo deducta est.[1]) Quid „Coniuncta" cognomen sibi velit, non liquet; sine dubio cognomina „Julia Coniuncta" non nisi publice adhibebantur.

Umbria.

11. Pisaurum = col. Julia Felix Pisaurum.

Pisaurum oppidum, ad Hadriae litus in via Flaminia situm, apud chorographos semper ita audit; Livius (39,44) anno 184 Pisaurum civium coloniam esse deductam narrat, atque Plutarchus (Antonius c. 60) oppidum: „Ἀντωνίου πόλιν κληρουχίαν" vocat. Antonium igitur eo veteranorum coloniam deduxisse apparet, quae post Actiacam pugnam ab Octaviano cognomina „Juliam Felicem" accepit. Apud Plinium (III 113) enim Pisaurum „colonia" et in titulis (C. I. L. XI 6335, 6377) „colonia Julia Felix" dicitur, quae cognomina non nisi sollemniter usurpabantur.

12. Fanum Fortunae = col. Julia Fanestris.

Fanum Fortunae oppidum item in ora maritima, a Pisauro in meridiem spectans, situm erat. Oppidum audit: Fanum Fortunae apud Plinium (III 113), qui coloniae mentionem facit, Strabonem (V p. 227), Tacitum (histor. III 50), Ptolemaeum (III 1,22), Aurelium Victorem (35,2), in itinerario Antonini, cum Mela (II 4,64) et Vitruvius (II 9,16) oppidum „Fanestrem coloniam" nominent. Apud Vitruvium alio loco (V 1,6) et in titulo (C. I. L XI 6232) occurrit: „Julia Fanestris" et in alio titulo (l. c. 6238): „col. Julia Fanum Fortunae"; cognomina igitur non ita constanter ursurpata esse videntur. Ab Octaviano sine dubio colonia deducta est, quam „Juliam Fanestrem" nominavit, atque Augusti aetate illud nomen

[1]) Eugen Bormann: C. I. L. XI p. 489.

non solum in titulis, sed etiam apud auctores satis usitatum erat, ut Vitruvii verba citata docent. Postea autem volgare nomen erat modo: Fanum Fortunae. Quarto deinde saeculo oppidum „Flavia Fanestris“ nominatum est a Constantino vel ab alio illius gentis imperatore; in arcu enim (C. I. L. XI 6218) Augustus et Constantinus coniuncti nominantur atque in oppido Flavia Fanestri constitutio anni 365 ad Valentinianum consularem Piceni, quae exstat in veteris iure consulti consultatione (9,4) alligata esse dicitur. Sine dubio „Flavia“ cognomen usu tritum non erat, cum apud Sidonium, Claudianum, Procopium non occurrat.

13. Hispellum = col. Julia Hispellum.

Hispellum oppidum, prope Fulginium situm, apud Plinium (III 113) colonia dicitur, praeterea apud Strabonem (V p. 227), Ptolemaeum (III 1,54) alios ita nominatur. Ab Octaviano veteranorum colonia aut post Philippensem aut post Actiacam pugnam eo deducta est; in titulo Hispellensi enim (C. I. L. XI 5269 a) oppidum: col. Julia Hispellum audit. Constantinus Magnus deinde, ut Fanestri coloniae, ita Hispello cognomina „Flaviam Constantem“ imposuit, ut apparet ex verbis tabulae marmoreae (C. I. L. XI 5265,42), ubi haec legimus: „Civitati Hispello concessimus. ut in posterum Flavia Constans vocetur.“ Quamdiu Hispellum ita audiverit, non constat.

14. Tuder = col. Julia Fida Tuder.

Tuder oppidum, prope Tiberim situm, apud Plinium (III 113) coloniae loco, deinde apud Strabonem (III p. 227), Ptolemaeum (III 1,54), alios hoc nomine commemoratur. In titulo aliquo (C. I. L. XI 4646) oppidum audit: „col. Julia Fida Tuder“ cum in coloniarum libello modo „col. Fida Tuder“ nominetur. Post Philippensem aut post Actiacam pugnam veteranorum colonia ab Octaviano eo deducta est; in titulis enim (C. I. L XI 4650, 4654) tribunus militum legionis XXXXI et centurio eiusdem legionis occurrunt, quam legionem aut anno 42, aut anno 31 emeritam esse A. de Domaszewski[1]) ostendit. Cum autem liber coloniarum Tuder ea lege, qua et Florentia, (scil. lege Julia) factam esse coloniam testetur, potius a triumviris post Philippensem pugnam coloniam esse deductam putem; quae colonia tum fortasse „Fida“ (scil. erga triumviros) appellata est, cum Octavianus post Actiacam pugnam „Juliam“ cognomen adiecerit. Cognomen „Fida“ enim potius, quam „Julia“ volgari in usu fuisse videtur.

[1]) N. Heidelb. Jahrb. IV p. 187.

Latium.

15. Sora = col. Julia Pra . . . Sora.

Sora ad Lirim flumen Volscorum in territorio sita erat; apud auctores oppidum semper ita audit. Anno 303 Soram Latinam coloniam esse deductam Livius (10,1) et Velleius (I, 14) narrant; postea Octavianus veteranorum coloniam eo deduxit. Plinius enim (III 63) Soram coloniarum in numero affert et in titulo Sorano (C. I. L. X 5711) oppidum: „col. Julia Pra . . .“ audit. In alio titulo (l. c. 5713) vir commemoratur, qui ante coloniam deductam primipilus et tribunus militum quartae legionis fuerat; quam legionem aut post Philippensem aut post Actiacam pugnam esse deductam A. de Domaszewski [1]) ostendit. Sed cum in coloniarum libello (p. 237) coloniam Caesaris Augusti iussu esse deductam referatur, potius post Actiacam pugnam quartam illam legionem, quae in titulo (l. c. 5713) „Sorana“ dicitur, esse deductam censeo. Quo modo illud „Pra . . . “ tituli modo commemorati supplendum sit, non constat. Haud scio an cum Mancinio [2]) sit scribendum: „Praetoria“, quod cognomen coloniae militari bene aptum esset.

16. Suessa = col. Julia Felix Classica Suessa.

Suessa oppidum Auruncorum in territorio prope montem Massicum situm erat. Anno 313 eo coloniam Latinam esse deductam referunt Livius (9,28) et Velleius (I 14). Postea ab Octaviano Suessam colonia veteranorum deducta est. Plinius enim (III 63) oppidum coloniam dicit et in titulo (C. I. L. X 4832) reperimus: col. Julia Felix Classica; quod nomen coloniae ab Octaviano post felicem navalem pugnam anni 31 impositum esse videtur. Sine dubio illa cognomina tantummodo sollemniter usurpabantur.

Campania.

17. Cumae = col. Julia Cumae.

Cumae oppidum a Plinio (III 61) colonia non appellatur; in coloniarum autem libello (p. 232) haec leguntur: „Cumae muro „ducto colonia ab Augusto deducta; ager eius in iugeribus vete„ranis pro merito est assignatus iussu Claudii Caesaris.“ In titulis deinde (C. I. L. X 3703, 3704) litterae D. C. J. haec significare videntur: „decurio coloniae Juliae“; qui tituli ad Cumas

---

[1]) l. c. p. 183.
[2]) C. I. L. X p. 561.

pertinent. Julii autem Caesaris dictatoris aetate Cumas fuisse municipium ex Ciceronis in epistula verbis (ad Attic. X 13,1) et ex inscriptione fistularia (C. I. L. X 3711), quae item in illud tempus cadit,[1]) apparet. Colonia Julia igitur ab Octaviano, priusquam „Augusti“ cognomen sibi imposuit, intra annos 31—27 deducta est; in libro coloniarum enim Octavianus semper „Augustus“ nominatur, seu de rebus ante annum 27 gestis, seu de rebus, quae post annum 27 acciderunt, agitur. Quod Plinius Cumas coloniam non dicit, errore quodam factum esse videtur, quod illi non ita raro contigit, ut iam vidimus. Hac in re coloniarum libro et titulo collato plus tribuendum est.

18. Capua = col. Julia Augusta Felix Concordia Valeria.

Capua, Campaniae nobilissima urbs, apud chorographos semper ita audit. Caesarem dictatorem anno 59 Capuam lege Julia viginti milia civium deduxisse referunt: Caesar ipse (bell. civ. I 14), Velleius (II 44), Suetonius (Caesar c. 20), Appianus (b. c. II 10); urbs tum colonia Felix Julia nominata esse videtur, quod nomen in coloniarum libro occurrit. In titulo autem, Hadriani aetate conscripto (C. I. L. X 3832), Capua audit: „col. Julia Felix Augusta“ et in titulo Diocletiani aetatis (l. c. 3867): col. Concordia Julia Valeria Felix Capua. Paulo post Caesaris mortem ab Antonio secundum acta illius Capuam iterum colonia deducta est (Cicero: Philipp II 40). Anno 36 deinde Octavianum coloniae supplementum adiecisse et relictos agros illius assignasse atque divisisse Velleius (II 81) et Cassius Dio (49,14) a. a. 36 narrant atque Plinii verba (III 63) id confirmant; quo tempore coloniae cognomen „Augusta“ impositum sit, ignoro. Certe Augustus coloniam auxit, cum solum „Augusta“ cognomen, quod Hadriani aetate praeter illa cognomina, a Caesare imposita, in titulo citato occurrit, non nisi ad Augustum pertinere possit. Haud scio an non „Augusta“ cognomen ab imperatore Nerone, quem anno 57 veteranos Capuam deduxisse Tacitus (annal. XIII 31) refert, Capuae sit impositum. Sine dubio „Valeria“ et „Concordia“ cognomina, quae in titulo allato occurrunt, ad Diocletianum spectant, quem coloniam beneficio auxisse et ea de causa cognomina „Valeriam“ et „Concordiam“ adiecisse probabile est. Primo et altero saeculis cognomina „Julia Felix“ satis usitata fuisse videntur, quippe quae in coloniarum libro occurrant.

---

[1]) Th. Mommsen: Hermes XVIII p. 181.

Samnium.

19. Beneventum = col. Julia Concordia Augusta Felix.

Beneventum, Hirpinorum in territorio situm, apud plurimos auctores hoc nomine commemoratur; Plinius (III 105) oppidum coloniam dicit. Anno 42 Beneventum, florentissimum oppidum, a triumviris veteranis collocandis esse destinatum Appianus (b. c. IV 3) narrat, quam coloniam Munatius Plancus deduxit (C. I. L. X 6087). Post Actiacam autem pugnam Octavianus, qui veteranis legionum VI. et XXX. coloniam auxit, oppido „Juliam“ cognomen imposuit, quod exstat in titulo Severianae aetatis (C. I. L. IX 2165), ubi legimus: „col. Julia Concordia Augusta Felix.“ Nam, cum post Actiacam pugnam usque ad Traianum legionis XXX nulla mentio fiat, illarum duarum legionum deductionem, quae ex multis titulis (C. I. L. IX 1601, 1602, 1603, aliis) apparet, non post Philippensem sed post Actiacam pugnam factam esse probabile est; praesertim cum titulos non tantam vetustatem prae se ferre, quam triumviralis deductio anni 42 requireret Th. Mommsen[1]) censeat. „Augusta“ cognomen fortasse ad illud tempus spectat, quo Caesarem Augustum Caudinum cum territorio suo Beneventanae coloniae adiudicasse refertur in coloniarum libro (p. 231)[2]). Cognomen „Concordia“ primarium a triumviris oppido impositum esse videtur, quippe quod potissimum triumvirali deductioni conveniat atque solum in coloniarum libro exstet. Praeterea in titulis (l. c. 1538, 1545) liberti coloniae Concordiae occurrunt; liberti coloniae enim semper ad primum coloniae statum atque tempus pertinent. Concordia cognomen, ut primarium, magis, quam cetera usu tritum erat. Fortasse „Julia“ cognomen quoque iam anno 42 a triumviris, vel potius ab Octaviano coloniae impositum est et Augusta cognomen pertinet ad illam deductionem legionum VI et XXX, quae illa coniectura accepta anno 27 vel paulo post facta esset. Cognomen Felix, quod fortasse item (propter cognominum ordinem), ab Augusto impositum est, imprimis Antoninorum aetate in titulis (l. c. 1645, 1665, 2043) usitatum erat, ubi oppidum modo „Beneventum Felix“, modo „Felix Beneventum“ audit.

20. Venafrum = col. Julia Venafrana.

Venafrum oppidum, ad Volturnum in Latii, Campaniae, Samnii confinio situm, Plinius (III 63), Ptolemaeus (III 1,68), Strabo

---

[1]) C. I. L. IX p. 136.

[2]) Th. Mommsen, Hermes XVIII p. 185.

(V p. 242) Campaniae tribuunt. Ante annum 27 ab Octaviano aut a triumviris eo coloniam esse deductam apparet ex titulis (C. I. L. X 4875 a b c), ubi „col. Julia Venafrana" occurrit, et ex Plinii testimonio, qui (l. c.) oppidum coloniarum in numero affert. In coloniarum libro quoque (p. 239) Venafrum coloniam esse deductam et ab Augusto summa montium iure templi deae concessa esse narratur. Utrum propter illam concessionem, post annum 27 factam, an propter novam deductionem colonia cognomen „Augustae" acceperit, quod in uno titulo (l. c. 4894) occurrit, ignoro. Sed ordo cognominum, in illo titulo exhibitus, ubi „Augusta" cognomen „Juliae" praecedit, Augustam cognomen sine deductione oppido impositum esse indicare videtur; plerumque enim ordo cognominum ad tempora primae secundae, tertiaeve deductionum pertinet.

Sardinia.

21. Turris Libisonis = col. Julia Turris Libisonis.

Turris Libisonis oppidum, septemtrionali in ora Sardiniae situm erat; de quo Plinius (n. h. III 85) refert: „colonia una, quae vocatur ad Turrem Libisonis." Apud Ptolemaeum (VIII 9,3) oppidum audit: „Πύργος Λιβίσσωνος", in itinerario Antonini (p. 83): „ad Turrem", in tabula Peutingeriana: „Turribus", apud geographum Ravennatem (V 26): „Turris Librisonis colonia Julia." Oppidum igitur, teste Plinio, unica Romanorum erat colonia, in Sardinia sita, atque ab Octaviano, ante bellum Actiacum, cum a Sex. Pompeio proditione Sardiniam cepisset, deducta esse videtur. Nam, cum Augustus in monumento Ancyrano Sardiniam earum provinciarum in numero non afferat, in quas, imperator Augustus factus, colonias deduxerit, illa colonia post annum 27 deducta esse non potest.[1]) Quoniam geographus Ravennas etiam „Juliam" cognomen usurpet, Turrim Libisonis esse coloniam Juliam numquam prorsus de memoria excidisse videtur; haud scio an illa de causa quod Turris Libisonis unica colonia erat in insula.

Hispania Baetica.

22. Hispalis = col. Julia Romula Hispalis.

Hispalis oppidum, ad Baetim flumen situm, apud plurimos chorographos ita audit, cum Mela (II 6,4) et Silius (III 392)

---

[1]) Zumpt.: comment. epigraph. p. 364.

nomen „Hispal“ exhibeant. Apud Plinium (III 11) legimus haec: „Hispalis colonia cognomine Romulensis.“ Oppidum a Romanis fortasse bello Celtiberico anno 152 aedificatum est;[1]) Julius Caesar autem, anno 45 contra Cn. et Sex. Pompeios bellum gerens, Hispali in oppido expugnato veteranos praesidii loco collocavit, ut apparet ex his Strabonis verbis (III p. 141): *„Ἴσπαλις . . . ., ἄποικοι „Ῥωμαίων . . . ., τῇ τιμῇ δὲ καὶ τῷ ἐποικῆσαι νεωστὶ τοὺς Καίσαρος „στρατιώτας ἡ Βαῖτις ὑπερέχει καίπερ οὐ συνοικουμένη λαμπρῶς“*. Conferenda sunt praeterea Cassii Dionis (43, 39,5) et Hirtii (bell. Hisp. c. 35) verba. Isidorus in originibus (XV 1,71) haec refert: Hispalim Caesar Julius condidit, quam ex suo nomine et Romae urbis vocabulo Juliam Romulam vocavit. „Romula“ vel „colonia Romulensis“ oppidum audit in titulis (C. I. L. II 1168, 1169, 1183) atque in nummis (Eckhel I p. 28) Plenum nomen „Julia“ Romulea“ exstat in titulo (Gruter p. 257) Antonini aetatis, fraudis quidem suspicioni obnoxio. Anno 45 igitur Hispalis ab Julio Caesare nominata est: „Julia Romula“ (haec. enim recta nominis forma est, non Romulea); quo anno multa alia oppida ab eodem similia nomina, ut „Claritatem Juliam“, „Constantiam Juliam“, alia acceperunt. Num coloniae ius atque titulus item ab Julio Caesare oppido, cum veteranos ibi collacaret, donata sint, dubitari potest; oppidum enim: „Julia Romula“ vel modo „Romula“ vel „colonia Romulensis“, sed non: „colonia Julia Romula“ audit. Potius igitur Hispali coloniae ius ab Octaviano Augusto datum esse censeam. Nomina Julia Romula non ita volgaria fuisse videntur, cum in itinerario Antonini (p. 410, 413) et apud Ravennatem (IV 45) non occurrant; sed non prorsus interierunt; Isidorus enim, qui septimo saeculo floruit, etiam illa novit.

23. Urso = col. Julia Genetiva Urbanorum.

Urso oppidum inter Hispalim et Mundam situm erat. Apud Plinium (n. h. III 12) legimus: „colonia immunis Urso, quae Genua Urbanorum;“ apud Strabonem (III 141) oppidum audit: *„Οὔρσων“*, apud Ptolemaeum (II 4,14) false: *„Οὐρβόνη“*. in bello Hispaniens. (c. 26, 41): „Ursao.“ Rectum atque plenum nomen occurrit in tabulis aeneis (C. I. L. II 5439), anno 1873 repertis, quae pertinent ad legem, a Caesare dictatore ipso mortis anno oppido datam, in quibus saepe nomen „col. Julia Genetiva“ reperitur seu supplendum est. Ex falso igitur cognomine „Genuae“, quod Plinius affert, litteris „e t i“ ante „u“ adiectis nomen „Genetiva“ restituendum est. Colonia Caesaris iussu lege Antonia anno 44

[1]) Zumpt: comment. epigraph. p. 311.

deducta est, ut haec tabularum verba (VII 412) demonstrant: „ager . . ., qui iussu C. Julii Caesaris dictatoris imperatoris et lege „Antonia senatusque consulto plebisque scito assignatus erit"; paulo infra „col. Julia Genetiva" commemoratur, quae iussu C. Caesaris dictatoris deducta est. Accedunt Ciceronis verba in Philippicis, quae dicuntur (V 4,10). Praeter tabulas citatas in aliis quoque titulis (C. I. L. II 1404, 5441) nomen „col. Julia Genetiva" occurrit. „Genetivam" cognomen a Venere genetrice, gentis Juliae dea tutelari, derivatum esse Aemil. Huebner[1]) recte observavit. „Urbanorum" cognomen, quod Plinius solus affert, coloniae ideo datum est, quod coloni urbanae originis eo deducti esse videntur; Suetonius enim (Caesar c. 42) Caesarem octoginta milia civium in transmarinas colonias deduxisse vel deducendos destinasse narrat. Plenum nomen: „col. Julia Genetiva Urbanorum Urso" ex Plinii et titulorum verbis componendum est.

24. Ucubi = col. Claritas Julia.

Ucubi oppidum, ubi situm fuerit, non pro certo exploratum est, praesertim cum perraro apud auctores occurrat; certe prope Uliam et Salsum flumen (bell. Hisp. c. 7), non procul ab hodierno oppido „Espejo" situm erat.[2]) Apud Plinium (III 12) oppidum audit: „col. Ucubi, quae Claritas Julia" et in titulis (C. I. L. II 656, 1553, 1559, 1572): „col. Claritas Julia." Quod Pliniani codices praeter Leydensem pro „Ucubi" exhibent formam „Attubim", nullius momenti est, cum in titulis et in „bello Hispaniensi" (l. c.), forma „Ucubi" exstet. Colonia Ucubim anno 45 a Caesare, qui illo anno ibi moratus est (bell. Hisp. l. c.), deducta est. Nomen „Claritas Julia" certe sub Domitiano (C. I. L. II 656) etiam publice usurpabatur. Cum Ucubi post Plinii tempus apud auctores non commemoretur, satis exigua fuisse videtur.

25. Itucci = col. Virtus Julia.

Itucci oppidum prope hodiernum Valenzuelam situm fuisse censet Ukert.[3]) Oppidum apud Plinium (III 12): „Itucci, colonia immunis, quae Virtus Julia" et in nummis autonomis (Eckhel I p. 24) modo „Itucci" audit. Colonia a Caesare fortasse anno 45 eo deducta est, item atque Ucubi. Quamdiu oppidum publice „Virtus Julia" appellatum sit, ignoro. Appianus (bell. Hisp. c. 66) tantum „Ἰτύκκη" nomine utitur.

---

[1]) C. I. L. II p. 851.

[2]) Aemil. Huebner: C. I. L. II p. 210.

[3]) Geograph. p. 369.

Hispania Tarraconensis.

26. Tarraco = col. Julia Victrix Triumphalis.

Tarraco, caput provinciae Tarraconensis, in ora maritima sita erat; apud geographos atque in itinerariis oppidum fere semper ita audit. Plinius (III 21) Tarraconem coloniam dicit atque in titulis Tarraconensibus (C. I. L. II 4071, 4274) et Barcinensibus (l. c. 4536—4548) reperitur: „col. J. V. T. Tarracon.“, atque in nummis (Eckhel I p. 57) Augusti aetatis: „J. V. T.“ vel: „J. V. T. T.“; quae compendia quid significent, quaerendum est. Antonius Augustinus haec scribere proposuit: „col. Julia Victrix Tyrrhena“ aut „Togata“. Illud Tyrrhenae cognomen autem Augustinus ipse reiecit, cum alio pertinere intellexisset, quod Ausonius (ep. 24,88) Tarraconem „Tyrrhenaicam“ appellat. „Julia“ cognomen certissimum est, cum permulta illius compendii per J. exempla exstent. Victricem cognomen quoque Augustinus recte supplevisse videtur, cum in Carthaginis Novae et Celsae nummis item „Victrix“ cognomen et totum et per notam „V.“ ıeperiatur (Eckhel I p. 44,41). „Togatam“ esse illud „T.“ ille vir doctus censuit, his Strabonis verbis (III p. 151) abusus: „*Μάλιcτα οἱ περὶ τὸν Βαῖτιν τελέως εἰc τὸν Ῥωμαίων μεταβέβληνται τρόπον, οὐδὲ τῆc διαλέκτου τῆc cφετέραc ἔτι μεμνημένοι. Λατῖνοί τε οἱ πλεῖcτοι γεγόναcι καὶ ἐποίκουc εἰλήφαcι Ῥωμαίουc, ὥcτε μικρὸν ἀπέχουcι τοῦ π ʼντεc εἶναι Ῥωμαῖοι . . . ., καὶ δὴ τῶν Ἰβήρων, ὅcοι ταύτηc εἰcὶ τῆc ἰδέαc, τογάτοι λέγονται,*“ Quibus verbis idem significatur, atque Th. Mommsen[1]) ait: Togatus bezeichnet in der juristischen und überhaupt in der technischen Sprache den Italiker, im Gegensatz nicht bloss zum Ausländer, sondern auch zum römischen Bürger.“ Togati igitur sunt peregrini, qui tantum exterioribus rebus, ut lingua et vestitu, non iure Romanis pares sunt, ut Latini; Togata cognomen, igitur coloniae civium aptum non est.[2]) Qua ratione autem illa nota „T“ sit explicanda, verba docent Flori rhetoris in dialogo, nuper prolato (in Jahnii Floro praefatione p. 43 v. 11—17); quem dialogum ante annum 101 esse habitum et spectare ad Tarraconem Friedericus Ritschl[3]) demonstravit. Ubi haec leguntur: „Si quid ad rem pertinet, civitas ipsa generosissimis auspiciis instituta, nam praeter Caesaris vexilla, quae portat, triumphos, unde nomen accepit, adest etiam peregrina nobilitas.“ Quibus verbis nisus Th. Mommsen primus litteram

---

[1]) Rom. hist. I p. 920 ed. IV.

[2]) Huebner, C. I. L. II p. 538.

[3]) Mus. Rhen. I p. 309.

supplevit in „Triumphalis“, quod cognomen in mutilo titulo (C. I. L. II 4134 contineri videtur. Tarraconem a Caesare coloniae dignitatem una cum nominibus „Juliae Victricis Triumphalis“ accepisse probabile est. Quam ad rem Dionis verba pertinent (43, 39): „Τοῖς δὲ εὔνοιάν τινα αὐτοῦ σχοῦσιν ἔδωκεν καὶ χωρία καὶ ἀτέλειαν πολιτείάν τέ τισι καὶ ἄλλοις ἀποίκοις τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι“, id est: civium Romanorum ius incolis dedit, quod anno 45 post pugnam Mundensem seu anno 49 post pugnam Ilerdensem esse factum cognomina indicant; tum enim Caesar Gadibus Tarraconem navigavit bell. civil II c. 21). Julia Victrix Triumphalis cognomina tantum sollemniter usurpabantur.

27. Carthago Nova = col. Julia Victrix Carthago Nova.

Carthago Nova apud auctores fere semper ita audit; Plinius (III 19) oppidum coloniam dicit. In itinerariis atque apud nonnullos auctores Carthago habet cognomen „Spartariae“, a sparta herba, illa in regione celeberrima, sumptum. In nummis (Eckhel I p. 41) oppidum audit: „col Julia Victrix Nova Carthago“, quae cognomina Carthagini sine dubio una cum deductione, eodem fere tempore atque Tarraconi, data sunt, ut cognomen „Victrix“ indicare videtur.

28. Celsa = col. Julia Victrix Celsa.

Celsa oppidum, ad Iberum situm, apud Plinium (III 24) et Strabonem (III p. 161) colonia dicitur atque in nummis Eckhel I p. 44) audit: col. Julia Victrix Celsa. Oppidum item atque Tarraco et Carthago Nova anno 49 seu 45 colonia facta est, ut apparet ex cognomine „Victrice“. Julia Victrix cognomina tantum publice adhibebantur.

29. Acci Gemella = col. Julia Gemella.

Acci oppidum, quod a Carthagine Nova ad occasum vergebat, apud Ptolemaeum (II 6, 61) et in itinerario Antonini p. 402 modo „Acci“ audit; apud Plinium (III 25) autem „colonia Accitana“ et „Gemellenses“ occurrunt In titulis (C. I. L. II 3391, 3393, 3394) et in nummis (Eckhel I p. 34) oppidum audit: „col. Julia Gemella Acci“ sive „Accis“. „Gemella“ cognomen duas legiones a Caesare anno 45 ibi collocatas esse indicat, quas fuisse primam et secundam Aemil. Huebner [1]) plane in nummis se vidisse ait, cum

[1]) C. I. L. II p. 498.

prius pro II num. VI legeretur. Quia apud Plinium (l c.) incolae Gemellenses vocantur, „Gemella“ cognomen primo saeculo satis usitatum fuisse videtur, cum „Julia“ cognomen tantum publice usurparetur.

Gallia Narbonensis.

30. Narbo Martius = col. Julia Paterna Narbo Martius.

Narbo Martius provinciae Narbonensis caput erat; apud Strabonem (p. 105), Ptolemaeum (II 10,9), in itinerario Antonini (389, 396), apud Stephanum Byzantium oppidum modo „Narbo“ audit, cum apud Ciceronem (pro Fonteio V 13), Plinium (III 32), Melam (II 75): „Narbo Martius“ vocetur. Anno a Chr. n. 118 M. Porcio Catone Q. Marcio Rege consulibus Narbonem colonia deducta est (Velieius I 15, Eutropius IV 23); sed non ex Marcio consule, ut Zumpt [1]) censet, Narbo cognomen „Marcium“ accepit, sed in Martis honorem „Martia“ dicta est, quod cognomen clare legitur in titulis (C. I L. XII 4432). Similiter eodem fere tempore Carthago „Junonia“ et Tarentum „Neptunia“ vocata sunt. Caesaris dictatoris iussu a Tib. Claudio Nerone, Tiberii imperatoris patre, Narbonem nova colonia deducta est, ut refert Suetonius (Tib. c. 4); de tempore autem illius deductionis viri docti non consentiunt. Cum Otto Hirschfeld [2]) et A. Zumpt. [3]) de anno 46 cogitent, J. Kromayer [4]) exeunte anno 45 coloniam esse deductam plane ostendisse mihi videtur. Ex Plinii (l. c) et Melae (l c) enim testimoniis, qui Narbonem Decumanorum coloniam dicunt, et ex titulis alterius saeculi (C. I. L XII 4344, 4345, 4346), in quibus coloni Decumani occurrunt, decimam legionem Narbonem esse deductam apparet; quae nobilissima legio etiam bello Hispaniensi pugnavit (bell. Hispan. c. 30,6), itaque non ante auctumnum anni 45 a Tiberio Claudio deducta esse potest. Tiberius autem ille Claudius iam vere anni 44 Romam rediit (Sueton. l. c.); exeunte igitur anno 45 coloniam Decumanorum Narbonem esse deductam probabile est. Quod confirmatur Planci verbis (Cicero, ad fam. X 11,2), qui anno 43 legionem decimam „veteranam“ vocat; legio X igitur, post Mundensem pugnam cum ceteris Gallicis legionibus dimissa, anno 44 a Lepido revocata est. In compluribus titulis (ut C. I. L. XII 4333, 4448) oppidum audit: „col. Julia

---

[1]) comment. epigr. p. 313.
[2]) C. I. L. XII p. 521.
[3]) comment. epigr. l. c.
[4]) Hermes 31, p. 1—19.

Paterna Narbo Martius" atque sub Claudio imperatore „Claudia" cognomen accedit (C. I. L XII 3390, 4391, 4402, 4406) „Paterna" cognomen oppido item atque Arelati ab Octaviano, qui postea tres novas veteranorum colonias, „Julias" cognominatas, in Narbonensi provincia instituit, datum est, ut suae ipsius coloniae Juliae a paternis discernerentur „Claudia" cognomen fortasse ad novam deductionem Claudii imperatoris pertinet.

31. Arelate = col. Julia Paterna Arelate (Constantina).

Arelate oppidum ad Rhodanum flumen situm erat; apud optimos et antiquissimos auctores fere semper forma „Arelate", postea autem: „Arelatum" vel „Arelas" occurrit. Mela (II 75) et Plinius (III 36) Arelate Sextanorum coloniam dicunt atque in titulo urbano (C. I. L. VI 1006) coloni Sextani Arelatenses commemorantur, cum in multis aliis titulis (C. I. L. XII 700, 702, 704) oppidum audiat: „col. Julia Paterna Arelatensis". Suetonius (Tib. 4) Arelate quoque a Tib. Claudio Caesaris iussu coloniam factam esse narrat; praeterea sextam legionem anno 45 in Hispania pugnasse constat (bell. Hispan. c. 12,6). Idem igitur de hoc oppido atque de Narbone censendum est scil.: exeunte anno 45 a. Tib. Claudio Sextanorum coloniam eo deductam esse; quo tempore Arelate „colonia Julia" nominatum est. Paucis annis post autem ab Octaviano Arelate item atque Narbo „Paternae" cognomen accepit. Quarto saeculo a Constantino Magno oppido „Constantina" cognomen impositum est[1]).

32. Baeterrae = col. Victrix Julia Septimanorum Baeterrae.

Baeterrae oppidum, in via, quae a Narbone Nemausum fert, situm, apud Melam (II 75) et Plinium (III 36): „Baeterrae Septimanorum", apud Ptolemaeum (II 10,9), Stephanum Byzantium, in itinerario Antonini modo: Baeterrae (Βαιτέῤῥαι) audit, cum in titulis aut: „Julia Baeterrae" (C. I. L. XII 4230) aut: „C. V. J. B." (XII 4238, 4240, 4241) nominetur. Notam „V", quam in nonnullis Hispaniae titulis quoque cognomen „Victricem" significare vidimus, hic quoque in „Victrix" supplendam esse Otto Hirschfeld[2]) recte coniecit; plenum nomen est igitur: col. Victrix Julia Septimanorum Baeterrae. Propter „Juliae" et „Septimanorum" cognomina Otto Hirschfeld (l. c.) Baeterras, similiter atque Arelate et Narbonem, Caesaris iussu a Tib. Claudio auctumno anni 45

[1]) Otto Hirschfeld, C. I. L. XII p. 83
[2]) C. I. L. XII p. 511.

veteranos esse deductos censet In Gallia Narbonensi praeter Narbonem Decumanorum, Arelate Sextanorum, Baeterras Septimanorum colonias etiam duabus coloniis, scil. Foro Julii et Arausioni legionum nomina, scil. „Octavanorum“ atque „Secundanorum“ inposita sunt Quas quinque legiones Caesaris iussu auctumno anni 45 a Tib. Claudio in Gallia Narbonensi eodem mandato et tempore collocatas esse Otto Hirschfeld existimat. Sed Th. Mommsen [1]) illud probabile non esse ait, cum plurimi Caesaris veterani in Italia essent collocati; Herzog [2]) deinde illas quinque legiones, quarum ex numero decimam et sextam auctumno anni 45 in Gallia Narbonensi esse collocatas vidimus, intra quattuor vel quinque menses deduci atque collocari potuisse negat; post bellum Hispaniense enim illae legiones dimissae sunt atque paulo post Caesaris mortem Tib. Claudius iam Romam rediit, ut supra dictum est. Tertium atque gravissimum argumentum contra Hirschfeldii sententiam J. Kromayer [3]) profert, qui septimam et octavam legiones a Caesare non in Gallia sed Casilini atque Calatiae collocatas esse ostendit (Nicol. Damasc., Caes. c. 31); secundam deinde legionem a Caesare non Arausionem deductam esse ille plane demonstrat [4]); quibus de causis Baeterras, Forum Julii, Arausionem non a Caesare sed ab Octaviano ante annum 27 illas legiones deductas esse probabile est. Accedunt alia; Cassius Dio ad annum 35 (49, 34,4) de Octaviano haec refert: „ἐς Γαλατίαν κληρουχήσαντας ἔπεμψεν“; quae Dionis verba non nisi ad illas militum colonias spectare possunt. Praeterea tantum Narbo et Arelate, sed non illae tres coloniae, „Paternae“ cognomen acceperunt, quod Octavianum patris coloniis, in Narbonensi provincia sitis, dedisse vidimus. Quibus fere temporibus illae tres coloniae sint deductae, nunc inquirendum est. Post Mutinense bellum tantum in Italia veterani collocati sunt. Anno 36/35 autem Octavianus praecipue iis veteranis prospexit, qui iam ipso imperante in bello Mutinensi stipendia meruerunt (Dio 49,14), (Appian. b. c. V 129); quarum legionum in numero autem septimam fuisse J. Kromayer l. c. ostendit. Intra annos 36/35 igitur Baeterras coloniam esse deductam arridet; tum quoque oppidum cognomina „Victricis Juliae“ accepit, quae tantum sollemniter usurpabantur.

33. Arausio = col. Firma Julia Secundanorum.

Arausio oppidum, ad Rhodanum flumen situm, apud Plinium (III 36) et Melam (II 75) „colonia Secundanorum“ vocatur. In

[1]) Hist. Rom. III p. 553 adn. prim. ed. VII.
[2]) Gall. Narbon. p. 82.
[3]) Hermes 31 p. 5,6.
[4]) l. c. p. 15,16.

titulo (C. I. L. XII 1242) nomen: „col. Julia Secundanorum“ supplendum est atque in alio (Herzog. 183) oppidum: „Firma Julia Secundanorum“ audit. Arausionem quoque anno 45 a Tib. Claudio, Caesaris iussu, Secundanorum coloniam esse factam Otto Hirschfeld [1]) censet: J. Kromayer autem, ut modo vidimus, Baeterras Forum Julii, Arausionem ab Octaviano colonias esse deductas ostendit, hoc argumentum de Arausione adiciens: secundam legionem, quippe quae fere anno 52 conscripta esset, iam anno 45 dimissam esse probabile non est cum illa legio in bello Mutinensi evocatarum in numero occurreret. Quam secundam legionem intra annos 35 · 33 deductam esse ille vir doctus [2]) plane ostendit; tum Arausio cognomina „Firmae Juliae Secundanorum“ accepit, ex quibus „Julia“ et „Firma“ tantum publice, „Secundanorum“ etiam apud auctores primi saeculi interdum occurrunt.

34. Forum Julii = col. Octavanorum Pacata Classica.

Forum Julii prope Massiliam in ora maritima situm erat. Oppidum audit apud Plinium (III 35): „Forum Juli Octavanorum colonia, quae Pacensis appellatur et Classica“, apud Melam (III 77): „Forum Juli Octavanorum colonia“, apud Strabonem (IV p. 184) et Tacitum (annal. II 63): „Forum Julium“, apud Ptolemaeum (II 10,8): „Φόρος Ἰούλιος κολωνία“ apud Tacitum (hist. II 43), in Planci epistula, ad Ciceronem missa (ad fam. X 15,3; 17,1), in tabula Peutingeriana, in itinerariis (p. 297, 505): „Forum =“ vel „Foro Juli“; apud Ravennatem (IV 28): „Foro Divi Juli“, apud Tacitum aliis locis vel: „civitas “ vel: „colonia =“ vel: „oppidum Foroiuliense“, seu „= Foroiuliensium“, in titulo demum (C. I. L. XII 3203): „Forum Julium Pacatum“. Forum Julium in territorio, Massiliensibus adempto, anno 49 seu 45 a Caesare conditum esse et nomen ipsum et citata verba Planci in epistula, anno 43 Ciceroni missa, docent; tum igitur Forum Julium iam notum et nobile erat. Octavanorum autem coloniam non a Caesare, sed ab Octaviano esse deductam iam vidimus. J. Kromayer [3]) octavam legionem anno 30 post Actiacam pugnam Forum Juli deductam esse ostendit, quibusdam Taciti et Strabonis verbis usus; Tacitus (annal. IV,5) enim haec refert: „naves rostratas, Actiaca pugna captas, in oppidum Foroiuliense miserat valido cum remige“ atque apud Strabonem (IV p. 184) legimus: „Τὸ ναυσταθμὸν τὸ

[1]) C. I. L XII p. 152.
[2]) Hermes 31 p. 13 sequ.
[3]) l c. p. 17.

Καίcαρος τοῦ Σεβαcτοῦ, ὃ καλοῦcι Φόρον Ἰούλιον" Anno 30 igitur Octavianus illo in oppido stationem classicam instituit atque simul Octavanorum coloniam praesidii causa eo deduxit, ut indicant cognomina „Pacensis" (Pacata) et „Classica", quae tantum sollemni in usu erant. Volgare nomen apud Romanos semper erat: „Forum Juli" vel „Foro Juli".

35. Apta Julia = col. Julia Apta.

Julia Apta, in territorio Vulgentium prope Druentiam flumen sita, audit apud Plinium (III 36), qui Aptam Latinorum oppidorum in numero affert: „Julia Apta Vulgentium", in itinerario Antonini (p. 343, 388) et in tabula Peutingeriana: „Apta Julia", in titulis (C. I. L. XII, 1005, 1114, 1116, 1118, 1120): col. Julia Apta; solum Apta nomen occurrit in duobus titulis Arelatensibus (C. I. L. XII 695,707), in notitia Galliarum (XVI 2), apud Sidonium Apollinarem (ep. 9,8). Cūm nonnulla oppida, quae in titulis „coloniae Juliae" appelantur, apud Plinium modo „oppida Latina" dicantur, Augustum Caesaris Latinis coloniis, quae civium coloniae factae non sunt, coloniae titulum atque ius ademisse probabile est; in inscriptionibus autem coloniae titulus servatus est; Apta Carpentoracte, Carcaso, a Plinio modo „oppida Latina" vocatae, in titulis „coloniae Juliae" appellantur. „Julia" cognomen etiam tertio saeculo usitatum erat; postea autem „Apta" solum nomen oppidi erat.

36. Carpentoracte = col. Julia Meminorum Carpentoracte.

Carpentoracte oppidum, prope Druentiae et Rhodani confluentes Meminorum in territorio situm erat. Volgaris forma nominis: „Carpentoracte" vel „Carpentorate" in notitia Galliarum (XI 12) et in libris Hermolai Barbari [1]), praeterea in titulis exstat, cum Plinius (III 36) formam „Carbantorate" exhibeat, quae Augusti aetate igitur usitata fuisse videtur. Ptolemaeus (II 10,16) oppidum: „Forum Neronis" vocat, quod nomen non, ut Otto Hirschfeld [2]) censet, ad Tiberium Claudium Neronem, quem anno 45 coloniarum deducendarum causa a Caesare in Galliam missum esse vidimus, sed ad Neronem imperatorem spectare videtur, cum Plinius illud nomen non afferat. In titulo Arausino (C. I. L. XII 1239) oppidum audit: „col. Julia Meminorum"; Plinius autem Carpentoracte Latinorum oppidum vocat. Idem igitur de Carpentoracte atque de

---

[1]) C. I. L. XII p. 147.
[2]) C. I. L.: l. c.

Apta dicendum est, scil. Caesaris coloniae Latinae ab Augusto coloniae ius et nomen adempta esse.

37. Carcaso = col. Julia Carcaso.

Carcaso oppidum in Volcarum Tectosagum territorio inter Narbonem et Tolosam oppida situm erat. Apud Plinium (III 36): forma „Carcasum“, in tabula Peutingeriana: „Carcassione“, apud Ptolemaeum (II 10,9): „Carcaso“ occurrit; in titulo primae imperatoriae aetatis (C. I. L. XII 5371) oppidum audit: „col. Julia Carcaso“. Latinae coloniae titulus igitur, ab Augusto oppido ademptus, non nisi in inscriptionibus adhibebatur.

38. Vienna = col. Julia Viennensium.

Vienna oppidum, quod ad Rhodani ripam situm erat, a Plinio (III 36) in coloniis civium Romanorum enumeratur atque in nummis (Eckhel I 71): „col. Julia Viennensium“ appellatur; qui nummi ad tempora Octaviani ante assumptum „Augusti“ cognomen pertinent. Ab Julio Caesare Viennae ius Latinum una cum „Julia“ cognomine datum est; Augustus autem, qui coloniae titulum non nisi de civium coloniis usurpari instituerat, Viennae iure Latino adempto civitatem cum „Augustae“ et „Florentiae“ cognominibus donavit [1]). In titulo enim (C. I. L. XII 2327) legitur: „col. Julia Augusta Florentia Vienna“; volgare nomen oppidi semper erat modo: Vienna.

Belgica.

39. Noviodunum = col. Julia Equestris.

Noviodunum oppidum, ad lacum Lemannum situm, apud Plinium (IV 106) audit: „colonia Equestris“ atque in titulis (C. I. L. XII 2606, 2614): „col. Equestris“ aut „col. Julia Equestris“. Colonia aut ab Octaviano dictatore aut a triumviris intra annos 43—27 deducta est; anno 43 enim primo in Tres Gallias a Munatio Planco coloniae deductae sunt, quarum in numero Noviodunum non erat. „Equestris“ cognomen satis usitatum fuisse videtur, cum oppidum tantum publice „Julia“ nominaretur.

Pannonia.

40. Aemona = col. Julia Aemona.

Aemona, in Pannonia ad Sarum flumen sita, apud Plinium (III 147): „col. Aemona“, apud Ptolemaeum (II 15,7) et in

[1]) O. Hirschfeld, C. I. L XII p. 217.

itinerariis modo: „Aemona“ vel „Hemona“, in titulis deinde (Orelli n. 71, Kellermann n. 103): „col. Julia Aemona“ audit. Th. Mommsen [1]) Aemonam una cum Pola et Tergeste oppidis, bello Dalmatico confecto, intra annos 34—33 ab Octaviano coloniam factam esse coniecit; tum oppidum „Juliae“ cognomen accepit, quod tantum publice usurpabatur.

Dalmatia.

41. Salonae = col. Martia Julia Salonae.

Salonae sive Salona caput erat Dalmatiae provinciae; oppidum apud omnes auctores ita audit. Plinius (III 141) et Ptolemaeus (II 16,4) Salonas colonium dicunt atque in titulo (C. I. L. 1933) ibi reperto: „colonia Martia Julia Salonae“ occurrit. Oppidum anno 34 ab Octaviano in bello Dalmatico incendio deletum esse Strabo (VII p. 315) refert; paulo post ab illo veteranorum colonia eo deducta esse videtur, quae „Julia Martia“ nominata est [2]). Quod plenum nomen non nisi sollemniter adhibebatur.

Macedonia.

42. Philippi = col. Julia Philippensis.

Philippi oppidum, prope Amphipolim situm, apud omnes geographos ita audit; apud Plinium (IV 42), Strabonem (VII p. 331 fr. 42), Dionem (51,4) Philippi colonia dicuntur atque in titulo (C. I. L. III 386), Alexandriae Troadis reperto, „col. Julia Philippensis“ occurrit, cum in nummis ex Augusti temporibus usque ad Caracallam (Eckhel II p. 76) constanter: „col. Augusta Julia Philippensis“ nomen reperiatur. Strabo (l. c.) haec refert: „οἱ δὲ Φίλιπποι Κρηνίδες ἐκαλοῦντο πρότερον, κατοικία μικρὰ; ηὐξήθη δὲ μετὰ τὴν περὶ Βροῦτον καὶ Κάσσιον ἧτταν.“ Colonia igitur anno 42, post Philippensem pugnam a triumviris, vel potius ab Octaviano aucta est et „Juliae“ cognomen accepit, quod in titulo iam commemorato exstat. „Augusta“ cognomen autem coloniae anno 27/26 ab Augusto impositum est, qui fere anno 30 Philippos et in alia Macedoniae oppida eos colonos deduxit, qui Antonii partes secuti veteranis praemia dandi causa agris privati erant (Cassius Dio 51,4). Colonia propterea non „Julia Augusta“, ut plurimae ceterae Macedoniae coloniae (ut Pella, Cassandrea, aliae) sed „Augusta Julia“ nominata est, quod illa cognomina non a solo Octaviano a. 30 et 27 accepit, ut ceterae coloniae in Macedonia sitae.

[1]) C. I. L. III p 489.
[2]) A Zumpt: comment. epigr. p. 372.

Achaia.

43. Corinthus — col. Laus Julia Corinthus.

Corinthus apud Plinium (IV 11), Melam (II 48), in titulo aliquo (C. I. L. III 538 colonia dicitur. Oppidum, anno 146 a Mummio destructum et direptum, ab Julio Caesare denuo aedificatum et colonia factum est, ut legimus apud Dionem (43,50) ad annum 44: „Τήν Καρχηδόνα τήν τε Κόρινθον ἀνέστησεν.“ et paulo infra: „ἧ μὲν (scil. Corintho) ἀποικίας Ῥωμαίων ἐνόμισεν, ἀπῴκισεν“ atque Strabo haec refert (VIII p. 381): „ἡ Κόρινθος ἀνελήφθη πάλιν ὑπὸ Καίσαρος τοῦ θεοῦ, διὰ τὴν εὐφυίαν, ἐποίκους πέμψαντος τοῦ ἀπελευθερικοῦ γένους πλείστους.“ Idem fere referunt Diodorus (33,1), Appianus (Pun. c. 136), Plutarchus (Caes. c. 57), Pausanias (II 1,2; 2,2). Zumpt.[1]) coloniam post Philippensem demum pugnam esse deductam censet; nam cum Carthago et Corinthus eodem fere tempore coloniae factae essent et Carthago a Caesare tantum ad deductionem destinata, ab Octaviano autem demum colonia facta esset, ille vir doctus Corinthum, quoniam post Caesaris mortem Brutus et Cassius Achaiam tenuissent, post Philippensem pugnam coloniam esse deductam ostendere conatur. Sed repugnant coniecturae illius plana verba Diodori, Dionis, Strabonis, aliorum supra allata; qui omnes auctores Corinthum ab ipso Caesare denuo conditam et coloniam esse factam referunt, quod anno 44 esse factum Dio l. c. narrat. Tum igitur oppidum cognomina „Laudem Juliam“ accepit, quae in nummis (Eckhel II p. 241, Mionnet II p. 167) inde a Caesare usque ad Gordianum occurrunt. Domitianus postea „Flaviae“ cognomen adiecit quod tantum illo imperante usurpabatur. Volgare nomen oppidi semper erat Corinthus.

Epirus.

44. Buthrotum = col. Julia Augusta Buthrotum.

Buthrotum, in Epiro ad mare situm, apud geographos constanter ita audit: Plinius (IV 4) Buthrotum coloniam dicit atque in nummis (Imhoof-Blumer: Mon. Graec. p. 138, n. 28) „col. Julia Buthrotum“ occurit. Caesar enim anno 45 Buthrotum civium coloniam deduci iussit (Cicero, ad Attic XVI 16); deductio autem demum post mortem illius facta est[2]). Cum in aliis nummis (Mionnet II p. 52, Vaillant, col. num. I p. 19) oppidum „col.

[1]) comment. epigr. p. 374.
[2]) A. Zumpt. comment. epigr. p. 318.

Augusta Buthrotum" nominetur, Augustum post annum 27 coloniam auxisse et tum „Augustam" illam appellasse apparet. Mirum est, quod colonia in illis nummis non „Julia Augusta", sed modo „Augusta" audit.

Creta.

45. Cnossus = col. Julia Nobilis Cnossus.

Cnossus, oppidum Cretae, quod a Strabone (p. 477) colonia dicitur, in nummis M. Antonii et Augusti (Imhoof: Mon. Graec. p. 213) audit: „colonia Julia Nobilis Cnossus". Colonia igitur quae a triumviris deducta est, ante annum 31 „Juliae" et „Nobilis" cognomen ab Octaviano accepit.

Asia.

46. Parium = col. Julia Gemella Parium.

Parium, ad Propontidem situm, apud Plinium (IV 48, V 141) colonia dicitur atque in titulo (C. I. L. III 386), Alexandriae Troadis reperto, „col. Julia Pariana" nominatur; in nummis (Eckhel II p. 461, 462) reperitur: „C. G. I. P." id est: col. Gemella Julia Pariana. Colonia ab Octaviano aut post Philippensem aut post Actiacam pugnam, certe ante annum 27, deducta est. Nam, quod in uno nummo (Eckhel II p. 462) legitur: „col. Par. Jul. Aug.", Eckhel [1]) illum nummum non ad Parium, sed ad Parlaidem Lycaoniae coloniam pertinere ostendit. Hadrianum alterum coloniae conditorem fuisse ex titulo Pariano (C. I. L III 374) apparet. Qua de causa ex Hadriani temporibus usque ad Gallienum in nummis „Hadriana" cognomen una cum „Julia" occurrit. „Gemella" cognomen una cum „Julia" oppido impositum est, quippe quod iam Augusti in nummis reperiatur. In Gallieni nummo lupa gemellos lactans reperitur cum nummeris II et VII; secundam autem legionem lupam cum gemellis in vexillo habuisse ex aliis Gallieni nummis scimus. Ex secunda igitur legione, quae ibi collocata erat, oppido „Gemella" cognomen impositum est [2]). Julia et Gemella cognomina tantum publice adhibebantur.

Bithynia et Pontus.

47. Sinope = col. Julia Caesarea Felix Sinope.

Sinope, ad Pontum sita, apud Plinium (VI 6), Strabonem (XII p. 546), in titulo Graeco (C. I. G. 4164) colonia dicitur. In titulo

[1]) l. c. p. 462.
[2]) Eckhell D. N. II p. 462.

Latino (.C I. L. III 6978) reperitur: „col. Julia Felix" atque in nummis (Eckhel. II p. 391), sub Augusto cusis, oppidum audit: „col. Julia Caesarea Felix Sinope", in ceterorum imperatorum nummis autem, ex Caesare usque ad Gallienum, modo: „col. Julia Felix Sinope" vel: col. Julia Romana Felix". Cum tantum in nummis L. Aelii (Mionnet II p. 403) „Augusta" cognomen occurrat, illum Caesarem intra annos 136—138, fortasse Hadriani iussu, coloniae cognomen „Augustae" dedisse apparet, quod sub M. Aurelio non iam usurpabatur. Coloniam anno 45 ab Julio Caesare esse deductam ex eo evincitur, quod coloniae nummi, Caesaris capite signati, reperti sunt et quod incolae ab anno 45 novam epocham instituerunt (Eckhel II p. 392). Julius Caesar coloniae cognomina „Juliae Felicis" imposuit atque Augustus „Caesaream" adiecit, quod cognomen post illius aetatem non iam adhibebatur.

48. Apamea = col. Julia Concordia Augusta Apamea.

Apamea, Bithyniae oppidum, ad Propontidem situm, apud chorographos aut ita aut „Apamea Myrlea" audit; coloniae mentionem faciunt Plinius mai. (V 149), Plinius min. (epist. X 56), Strabo (XII p. 564), Ulpianus (Digest. L 15,1); in titulis (C. I. L. III 335, 6992) reperitur: „col. Julia Concordia Apamea" et in nummis (Eckhel II p. 406; Mionnet II p. 412) item: „col. Julia Concordia Apamea"; sed ex Julia Domna usque ad Gallienum legimus in nummis: „col. Julia Concordia Augusta Apamea." Caesarem anno 45, eodem tempore atque Sinopen, Apameam coloniam deduxisse ex nummo Caesaris apparet, qui tum coloniae cognomina „Juliam Concordiam" imposuit. Zumpt.[1]) et O. Cuntz[2]) propter „Augustae" cognomen de Augusto vel Tiberio deductoribus cogitant. Sed Augustus in monumento Ancyrano Bithyniam earum provinciarum in numero non affert, in quas colonias deduxerit; praeterea „Augusta" cognomen omnino non ad Augustum, sed ad Septimium Severum spectat, qui coloniae ius Italicum dedit (Ulpianus l. c.). Ex illius enim imperatoris aetate „Augusta" cognomen in nummis occurrit atque inde sollemni in usu manebat.

Galatia.

49. Antiochia = col. Caesarea Antiochia.

Antiochia, in septemtrionali parte Pisidiae sita, apud Plinium (V 94): „colonia Caesarea", apud Strabonem (XII pag. 577):

---

[1]) Comment. epigr. p. 378.
[2]) De Augusto p. 21.

„ἀποικία Ῥωμαίων“, apud Ulpianum (Dig. L 15,8): „colonia Antiochensium“, in nummis ex Augusto usque ad Claudium II (Eckhel III p. 18, Mionnet III p. 491): „col. Antiochia“, aut „col. Caesaria Antiochia“ aut „col Antiochia Caesarea“ vocatur; in titulo Graeco deinde (Le Bas-Waddington n. 1620 a): *„Ἀντιοχεῖς Καισαρεῖς κολῶνοι“* occurrunt. Nummi veteranos legionis V Gallicae Alaudae eo esse deductos docent atque Augustus ipse in monumento Ancyrano c 28) ait: *„Ἀποικίας ἐν Πισιδίᾳ στρατιωτῶν κατήγαγον“*. Propter „Caesareae“ cognomen colonia ab Octaviano intra annos 31—27 deducta esse videtur, cum omnibus ceteris Pisidiae coloniis, quae post annum 27 deductae sunt, „Julia Augusta“ cognomina imposita sint[1]. „Caesarea“ cognomen apud auctores Plinio excepto non occurit et tantum sollenniter usurpabatur.

Syria.

50. Berytus = col. Julia Antoniniana Augusta Felix Berytus.

Berytus in Phoenicia ad mare sita erat. Quo de oppido apud Plinium (V 78 legimus: „Berytus colonia, quae Julia Felix appellatur“; deinde Caesaris in nummo (Eckhel III p. 355) cum inscriptione: „col. Jul. Ber.“ caput dictatoris signatum est cum colono boves agente, quod signum coloniae conditae esse solet[2]. In Augusti nummis quoque nonnullis epigraphe est: „col. Julia Berytus“ (Eckhel III p. 356); ab Ulpiano autem (Digest L 15,1,1) Berytus vocatur: „colonia Augustana“ atque Eusebius (in chronicor. II p. 143, Schoene) Berytum anno 14 a. Chr. n. coloniam esse deductam refert. In nummis quoque (Eckhel l. c., Mionnet V. p. 337) inde ab Augusto usque ad Saloninam oppidum audit: „col. Jul. Aug. Ber.“ aut „col, Jul. Aug. Fel. Ber.“ atque in titulis (C I. L. III 161, 165, 166, 6041) item nomen „col. Julia Augusta Felix Berytus“ reperitur. Augustus igitur anno 14 a. Chr. n. coloniam augeri iussit, quod Agrippae mandavit, qui illo anno rebus Bosporanis confectis quintam „Macedonicam“ et octavam „Augustam“ legiones Beryti collocavit (Strabo XVI p 756)[3]. Berytus ex Augusti temporibus apud Romanos publice semper „col. Julia Augusta Felix“ audiebat; Caracalla „Antoninianae“ cognomen adiecit, quod tantum in illius imperatoris nummis reperitur.

---

1) O. Cuntz, Jahrb. f. cl. Philol. Supplem. XVII p. 490.
2) Zumpt. Comment. epigr. p. 379.
3) Eckhel, D. N. III p. 356.

Africa.

51. Carthago = col. Julia Aurelia Antoniniana Carthago.

Jam anno 122 Carthaginem, quae urbs anno 146 deleta erat, C. Gracchus civium coloniam deduxit, cui „Junoniam" cognomen imposuit. Sed iam insequenti anno lege a Minucio Rufo, tribuno plebis, lata colonia denuo exstincta est. Anno 44 deinde Julium Caesarem, somnio motum, Carthaginem denuo coloniam deducere voluisse referunt Appianus (Punic. c. 136), Cassius Dio a. a. 44 (43, 50), alii. Sed ante coloniam deductam Caesar interfectus est; coloni autem designati tamen Carthagine collocati sunt (Strabo XVII p. 833, Appian Pun. l. c.) et oppidum „colonia Julia" vocatum est, quod nomen in nummis Augusti et Tiberii (L. Müller, num. de l'ancienne Afrique II p. 149, 152, 153) et in titulis (C. I. L. VIII 805, 1497) reperitur. Cum Lepidus postea partem civium ex urbe expulisset, Octavianus anno 29 tria milia civium eo deduxit. „Veneris" vocabulum, quod in nonnullis nummis exstat, non cum nomine urbis iungendum esse Gustavus Wilmanns[1]) ostendit. Usque ad Severorum tempora Carthago publice „col. Julia" vocabatur. A Septimio autem Severo et Caracalla urbs iure Italico donata est (Ulpian. Dig. L 15,8); tum, fortasse intra annos 197—211, cognomina „Aureliam Antoninianam" a Caracalla accepit, quae occurrunt in titulo (C. I. L. VIII 1220).

52. Cirta = col. Julia Juvenalis Honoris et Virtutis.

Cirta, prope Ampsagan flumen sita, audit apud Plinium (V 22): „colonia Cirta, Sittianorum cognomine", apud Melam (I 30): „Cirta, nunc Sittianorum colonia", apud Ptolemaeum (IV 3,28): *Κίρτα Ἰουλία*. Cur Cirtae „Sittianorum" cognomen impositum sit, Gustavus Wilmanns[2]) diserte exponit. Post devictum Jubam Caesar anno 46 Cirtam ita Boccho regi concessit, ut colonia civium fieret, Sittianis (Appian. b. c. IV 54) eo deductis. Tum igitur Cirta, colonia facta, nominata est: „col. Julia Juvenalis Honoris et Virtutis", quod nomen reperitur in titulis (C. I. L. VIII 7041, 7071, 6951). Altero saeculo etiam „Julia" cognomen satis volgare fuisse videtur, cum cetera cognomina tantum solemniter usurparentur.

---

[1]) C. I. L. VIII p. 133.
[2]) C. I. L. VIII p. 618.

53. Thuburbo Maius = col. Julia Aurelia Commoda Thuburbo.

Thuburbo Maius oppidum, prope Carthaginem situm, apud Plinium (V 29) inter sex Africae colonias enumeratur atque in titulis (C. I L VIII 848, 12366) audit: „col. Julia Aurelia Commoda Thuburbo Maius.“ Coloniam intra annos 46—44 eo ab Julio Caesare, eodem tempore quo Carthaginem et Cirtam, deductam esse Gustavus Wilmanns[1]) suo iure censet, cum E. Kornemann[2]) coloniam ab Octaviano anno 29 esse deductam putet. A Commodo imperatore colonia aucta est et cognomina „Aureliam Commodam“ accepit, quae Gordiani aetate etiam publice adhibebantur.

54. Veneria Sicca = col. Julia Veneria Cirta Nova Sicca.

Veneria Sicca, prope Bagradam flumen sita, a Plinio (V 22) colonia dicitur; apud Ptolemaeum (IV 3,30) autem et in itinerario Antonini (p. 45) oppidum modo Veneria Sicca vocatur; „Veneria“ antiquitus Siccae cognomen fuisse videtur, cum ibi satis nobile Veneris templum esset. In titulis (C. I. L. VIII 1632, 1648, 15868, 16258, 16367) reperitur: „col. Julia Cirta Nova Sicca“; colonia, cui nomina Julia Cirta Nova imposita sunt, ab Octaviano anno 29 una cum altera deductione, Carthaginem facta, condita est; Siccenses enim (Gauckler, Bull. Antiqu. de France, 1898 p. 114) Divum Augustum conditorem appellant

55. Assuras = col. Julia Assuras.

Assuras, quae a Veneria Sicca in occidentem vergebat, apud Plinium (V 29): „oppidum civium Romanorum Assuritanum“, in itinerario Antonini (p. 49, 51): „Assuras“, in tabula Peutingeriana „Assures“, apud Ptolemaeum (IV 3,30): „Assuros“, in titulo Severianae aetatis (C. I. L. VIII 1798): „col. Julia Assuras“ vocatur. Recta forma nominis igitur est „Assuras“. Cum in Agrippae laterculis Africae, quos Plinius secutus est et quos intra annos 25—13 conscriptos esse Otto Cuntz[3]) ostendit, Assuras coloniarum in numero non commemorata sit, E. Kornemann[4]) suo iure Assuram Augusti aetate fuisse municipium Julium et postea, colonia deducta, „Juliam“ cognomen servatum esse censet. Haud scio an

[1]) C. I. L. III p. 106.
[2]) Pauly-Wissowa IV p. 533.
[3]) Jahrb. f. cl. Philolog. Suppl. XVII p. 524.
[4]) Pauly-Wissowa IV p. 533.

oppidum anno 46 a Caesare municipium Julium factum sit; quo autem imperante colonia deducta sit, non potest discerni; potissimum de Hadriano cogitem.

56. Utica = col. Julia Aelia Hadriana Augusta.

Uticam anno 36 civitate Romana donatam esse refert Dio Cassius (49,16); Plinius quoque (V 24) Uticam vocat: „oppidum civium Romanorum" atque in nummis Tiberii aetatis (L. Müller, numism. de l'ancienne Afrique II p. 159): „municipium Julium Uticense" ocurrit. Sub Hadriano deinde (Gell. noct. Attic. 13,4) Utica colonia facta est et „Aeliam, Hadrianam, Augustam" cognomina accepit, servato cognomine „Julia". Oppidum ex Hadriano igitur pleno sollemni nomine audiebat: „col. Julia Aelia Hadriana Augusta", quod nomen in aliquo titulo (C. I. L. VIII 1181) occurrit.

57. Hippo Diarrhytos = col. Julia Hippo Diarrhytos.

Hippo Diarrhytos, in ora maritima prope Uticam sita, apud Plinium maiorem (V 23) „oppidum peregrinum" dicitur, cum apud Plinium minorem (epist, IX 33, 2, 5): „colonia" et in titulo (C. I. L. VIII 1206): „col. Julia Hippo Diarrhytos" vocetur. Hippo, Curubis, Neapolis, Carpis, quae apud Plinium maiorem (l. c.) partim oppida peregrina, partim civitates dicuntur, usque ad annum 44 castella fuerant; tum autem ab Julio Caesare deducendae coloniae Carthagini subiectae sunt, ita ut fortasse ipsae coloniae appellarentur, sed a Carthaginiensibus duoviros et aediles acciperent. Anno 29 fortasse, cum nova Carthaginem deductio fieret, coloniae, quae antea Carthagini subiectae erant, ab Octaviano seperatae atque civitates liberae seu peregrinorum oppida factae sunt. Postea autem, sed non eodem tempore, illa oppida coloniae titulum receperunt; atque Hippo primo, Neapolis et Curubis altero, Carpis demum tertio saeculo coloniae Juliae dicuntur[1] [2].

58. Curubis = col. Julia Curubis.

Curubis, ad mare sita, apud Plinium (V 24) civitas libera vocatur, cum in titulo alterius et in titulo tertii saeculi (C. I. L. VIII 980, 12452): „colonia Julia Curubis" audiat. Oppidum igitur altero saeculo coloniae titulum, sub Octaviano anno 29 amissum, recepit

---

[1] E. Kornemann. Pauly-Wissowa IV p. 533.
[2] O. Cuntz, De Augusto p. 45.

59. Neapolis = col. Julia Neapolis.

Neapolis, prope Curubim in ora maritima sita, apud Plinium (V 24): „civitas libera“, apud Ptolemaeum (IV 3,8): „colonia“, in titulo anni 283 (C. I. L. VIII 968): „colonia Julia Neapolis“ dicitur. Neapolis fortasse sub Hadriano coloniae ius atque titulum recepit.

60. Carpis = col. Julia Carpis.

Carpis, in sinu Carthaginiensi sita, apud Plinium (V 24) „oppidum peregrinorum“ dicitur cum in titulis tertii saeculi (C. I. L. VIII 1206 = 14333): „col. Julia C.“ audiat.

B. Cetera oppida, quae ex Julio Caesare atque ex Octaviano ante assumptum „Augusti“ cognomen nominata seu cognominata sunt. 58—27 a. Chr. n.

Italia.

Venetia.

1. Forum Julium.

Forum Julium, quod ab Aquileia ad septemtrionem vergebat, apud Plinium (III 130): „Foroiulienses“, Ptolemaeum (II 1,29): „Φόρος Ἰούλιος κολωνία“, Paulum Diaconum (II 12,14, IV 28,38) aut: „Forum Julii“ aut „castrum Foroiulianum“, in titulis (C. I. L. V. 1761, 1762): „res publica Foro Julium“ audit. Ptolemaeum iniuria oppidum coloniam appellare Theod. Mommsen [1]) ostendit; in titulis enim Forum Julium bis: „res publica“ atque semel (l. c. 1765): „municipium“ dicitur. Oppidum fortasse una cum Julio Carnico fere anno 34 ab Octaviano conditum est [2]; Forum Julium nomen apud Romanos semper usitatum erat; Langobardorum aetate ex forma „Foroiulium“ ortum est: „Friaul“

2. Julium Carnicum.

Julium Carnicum, quod oppidum, a Foro Julio in septemtrionem versus, in Carnicis Alpibus situm erat, apud Plinium (III 130) audit: „Julienses Carnorum“, apud Ptolemaeum (II 13,4) et Paulum Diaconum (VI 51): „Julium Carnicum“, in itinerario Antonini (p. 279): „Julia Carnicum“, in titulis (C. I. L. V 1842, 1862): „col. Julium Carnicum“ aut: „res publica Julium Carnicum.“

---

[1]) C. I. L p. 161.
[2]) Th. Mommsen l. c.

Julium Carnicum ab Octaviano fortasse anno 34 bello Dalmatico confecto vici loco conditum est; postea autem, certe ante Claudii imperatoris mortem, colonia eo deducta est; in titulis enim (C. I. L. V. 1838, 1841, 1842) duoviri et procurator quidam Claudii Caesaris occurunt. Coloniam non ab Octaviano esse conditam nomen Julium Carnicum docet; in titulo allato enim exstat: „col. Julium Carnicum" ac non: „col. Julia Carnicum", quod nomen conditorem quendam Juliae gentis significaret[1]). Julium Carnicum nomen apud Romanos semper volgare erat; hodie oppidum audit: „Zuglio" vel „Uglio", quod nomen ex „Julio" ortum esse videtur.

Hispania Baetica.

3. Ugultuniacum = Contributa Julia.

Plinius (III 14) inter Baeticae oppida, Latio seu civitate donata, „Contributam Juliam" affert; apud Ptolemaeum (II 4,3) quoque et in itinerario Antonini (p. 432) atque apud Ravennatem (III 14; IV 44) „Contributa" oppidum, in Baetica provincia situm, commemoratur. Quod oppidum idem esse atque Ugultuniacum Aem. Huebner[2]) ostendit, qui loco Plinii allato pro nominativo „Ugultuniacum", qui traditus est, dativum „Ugultuniaco" scribere vult, ita ut sententiam accipiamus: „Contributa cognomen Ugultuniaco adicitur"; similiter Seriae, Nertobrigae, Segidae cognomina adiciuntur. Plenum nomen igitur oppidi, quod intra Hispalim et Augustam Emeritam situm erat, est: „Ugultuniacum Contributa Julia." Cognomen „Contributa Julia" anno 45 ab Julio Caesare Ugultuniaco impositum esse censeo. Multorum enim Baeticae et Lusitaniae oppidorum cognomina satis similia sunt, ut: „Fama Julia" „Concordia Julia", „Contributa Julia", „Restituta Julia", „Claritas Julia", „Virtus Julia", Constantia Julia", „Pax Julia"; quae nomina vel cognomina omnia ad eundem auctorem, scil. ad Julium Caesarem pertinere atque anno 45 imposita esse videntur, cum imprimis cognomina „Pax", „Concordia", „Fama", „Claritas", „Constantia" potius in annum 45, quo Pompeiani prorsus devicti erant, quam in annum 49 quadrare videantur. Augustus, qui intra annos 26—25 in Hispania per aliquantum temporis morabatur, multa Hispaniae oppida ex „Augusti" seu „Caesaris" cognominibus, sed non ex gentili nomine „Julii" nominavit. Praeterea Ituccim et Ucubim colonias item anno 45 cognomina „Claritatis - " et „Virtutis Juliae" accepisse probabile est. Anno 45 igitur cetera oppida allata quoque ab Julio Caesare condita, vel restituta, vel aucta et privi-

[1]) Th. Mommsen, C. I. L. V p. 172.
[2]) C. I. L. II p. 131.

legiis donata esse videntur. „Contributa Julia“ sollemne nomen erat, quoniam oppidum apud auctores etiam septimo saeculo modo „Contributa“ appellaretur.

4. Segida — Restituta Julia.

Segida Restituta et Seria Fama oppida, ubi sita fuerint, pro certo discerni non potest. Plinius (III 14) una cum Contributa et Nertobriga „Seriam Famam Juliam“ atque „Segidam Restitutam Juliam“ affert, quae oppida omnia in ea Baeticae parte, quae ad septemtrionem et ad occasum spectat, sita erant. Aem. Huebner[1]) de illis oppidis haec dicit: „Intra Ardilam et Guadarijam rivos, in Anam a ripa dextra influentes ambos, Baeturiae Celticae oppida antiqua sita fuisse videntur, quorum tituli dispersi reperiuntur in oppidis vicisve Estremadurae hodiernae“; certi nihil explorari posse de illis oppidis ipse concedit. Zafrae, hodierno in oppido, titulus (C. I. L. II 988) inventus est, in quo „Segida“ vel „Segeda“ oppidum commemoratur; illud „Zafra“ a Contributa in septemtrionem vergit. Segidae oppido, fortasse anno 45 restituto, a Caesare cognomina „Restituta Julia“ data sunt, quae non multo postea intercidisse videntur, cum Plinio omisso nusquam occurrant.

5. Seria = Fama (Vama) Julia.

In titulo (C. I. L. II 989), prope hodiernum oppidum „Salvatierram“ reperto, „Vamenses“ occurunt. Ptolemaeus (II 4,15) quoque prope Aruccim „Vamam“ oppidum affert; quod oppidum a Segida in occasum vergebat atque ab Aemilio Huebner[2]) cum „Fama Julia Seria“ Plinii (III 14) componitur; illa enim quatuor oppida, a Plinio allata, in eadem parte Baeticae sita erant. „Fama Julia“ cognomen Seriae anno 45 impositum est, sed solum „Fama“ nomen usu receptum esse videtur, unde iam altero saeculo forma „Vama“ false evasit.

6. Artigi = Artigi Julia.

Artigi, Turdulorum oppidum, quod hodie „Alhama“ audit, a Contributa in orientem vergebat. Apud Plinium (III 10) oppidum audit: „Artigi quod Julienses“ et apud Ptolemaeum (II 4,11) modo „Artigis.“ Cum Artigi alibi non commemoretur, de nomine atque de situ certi quicquam dici nequit. „Julia“ cognomen, quod oppido aut a Caesare aut ab Octaviano, certe ante annum 27 impositum est, iam altero saeculo intercidit.

---

[1]) C. I. L. II p. 127.
[2]) C. I. L. II p. 127.

7. Nertobriga = Concordia Julia.

Nertobriga oppidum, quod a Contributa in occasum vergebat, hodie „Frejenal“ audit[1]. „Concordia Julia“ cognomen, quod Caesar anno 45 oppido, Latio seu civitate donato, imposuisse videtur, tantum apud Plinium occurrit (III 14); alibi oppidum, nisi in titulis (C. I. L. II 972, 973), nusquam citatur, cum alterum oppidum Nertobriga, in Tarraconensi provincia situm, saepius apud auctores occurrat.

8. Lacimurga = Constantia Julia.

Apud Plinium (III 14) plurimis in codicibus legitur: „Lacinimurgi (Laconimurgae) Constantia Julia“; Parisinus autem formam „Lacimurga“ exhibet. Cum in titulo (C. I. L. II 5068), prope hodiernum oppidum „Puebla de Alcocér“ reperto, nomen Lacimurga plane legatur, Parisinum codicem rectam lectionem praebere apparet. Oppidum prius semper cum hodierno „Constantina“ componebatur; sed Aem. Huebner[2]) Constantinam potius esse antiquam Iporcam ostendit. Lacimurga, ab Augusta Emerita in occidentem versus, ad Anam in confinio trium Hispaniae provinciarum sita erat; oppidum una cum ceteris Baeticae oppidis ab Julio Caesare anno 45 novum cognomen scil. „Constantiam Juliam“ accepisse videtur, quod sine dubio paulo post intercidit neque volgari usu receptum est.

9. Illiturgi = Forum Julium.

Illiturgi oppidum, ad Baetim flumen situm, quod a Corduba in orientem vergebat, apud Plinium (III 10) audit: „Illiturgi, quod Forum Julium“, apud Livium (28, 19, 20; 34, 10) et in itinerario Antonini (p. 403) modo „Illiturgi“, cum apud Graecos auctores (Ptolemaeum II 4,9; Appianum, bell. Hisp. c. 32; Stephanum Byzantium) forma „Ἰλουργία“ vel „Ἰλουργὶς“ occurat. Illiturgi, quod oppidum anno 210 deletum erat (Appian. l. c., Livius l. c., anno 49 seu 45 ab Julio Caesare restitutum est et nomen „Forum Julium“ accepit, quod altero saeculo non iam volgare erat.

10. Lucurgentum = Julii Genius.

Lucurgentum tantum in titulo (C. I. L. II 1264), hodierno in oppido „Alcalae de Guadaira“ reperto, et dubie apud Plinium (III 11) commemoratur, ubi legitur: „Lucurgentum (aliae lectiones: Luurgentum, Lurgentum, Urgentum, Jurgentum), quod Julii Genius.“ Oppidum prope „Alcalam de Guadaira“, igitur prope Hispalim,

---

[1]) Aem. Huebner, C. I. L. II p. 125.
[2]) C. I. L II p. 135.

fuisse situm Aem. Huebner[1]) recte ostendit; pro certo autem de oppidi situ nihil explorari potest, cum duo tantum testimonia exstent. Lucurgentum fortasse ab Julio Caesare anno 45 „Julii Genius“ vocatum est, quod cognomen sine dubio non diu usurpabatur, cum in titulo citato non iam occurrat. Haud scio an oppidum ab Octaviano Caesaris in honorem „Julii Genius“ vocatum sit.

11. Asido = Asido Caesarina.

Apud Plinium (III 11): „Asido colonia, quae Caesarina“ occurrit; praeterea Ptolemaeus (II 4,13) „Ἀσίνδον“ oppidum commemorat. Asidonem non „coloniam Caesarinam“, sed „municipium Caesarinum“ vocatum esse Aem. Huebner[2]) Plinii verbis emendatis demonstravit. In titulo enim, Medinae Sidoniae, hodierno in oppido, reperto, „municipium Caesarinum“ occurrit; deinde Asidonem non hodiernam „Jeres de la Frontera“, sed „Medinam Sidoniam“ esse Aem. Huebner l. c. ostendit. Asido cognomen „Caesarinae“ ab Julio Caesare an ab Octaviano acceperit, ignoro. Potius autem de Octaviano Augusto cogitem, quippe qui multis oppidis „Caesariae“ cognomen imposuerit. Postea Asidonem Caesarinam colonia ab Augusto deducta est (C. I. L. II 5407: C. C. A. A.) „Caesarina“ cognomen certe Ptolemaei temporibus non iam usitatum erat.

12. Osset = Julia Constantia.

Osset oppidum, quod ad Baetim situm erat, apud Plinium (III 11) cognominatur „Julia Constantia“ quod cognomen fortasse anno 45 Osseti, item atque Lacimurgae, ab Julio Caesare impositum est, cuius partes utrumque oppidum in bello, contra Pompeianos gesto, secutum esse videtur. „Julia Constantia“ cognomen ne publice quidem diu adhibebatur; in titulo enim Severianae aetatis (C. I. L. II 1254) oppidum modo „Osset“ audit.

13. Ugia (Urgia) = Castrum Julium Caesaris Salutariensis.

Plinius (III 15), qui solus „Urgiam“ commemorat, oppidum ad conventum Gaditanum pertinere refert. Cum alibi „Urgiae“ nulla mentio fiat, Forbiger[3]) iure censet „Urgiam“ idem nomen esse atque „Ugiam“, ut apud Plinium pro formis: „Urgia“ vel „Urigia“ vel „Uria“ quas codices exhibent, „Ugia“ scribendum sit. „Ugia“,

---

[1]) C. I. L II p. 167.
[2]) C. I. L. II p. 176.
[3]) Geogr. ant. III p. 44.

quae apud Ptolemaeum (II 4,12) in itinerario Antonini (p. 410), apud Ravennatem (IV 45) occurrit, intra Hispalim et Gades sita erat. Altero saeculo cognomina „Castrum Julium" et „Caesaris Salutariensis", quae Plinius affert, non iam usitata erant; quibus ex cognominibus „Castrum Julium" item atque „Forum Julium" et „Praesidium Julium" ad Caesarem pertinere videtur, qui illa cognomina fortasse anno 49 oppidis quibusdam, a se munitis seu restitutis imposuit „Caesaris Salutariensis" cognomen autem ab Octaviano Augusto, ut fere omnia nomina, cum voce „Caesare" composita, oppido in honorem patris datum est.

14. (Julia Fidentia) = Ulia Fidentia.

Apud Plinium (III 10) in oppidorum numero, quae ad conventum Cordubensem pertineant, „Julia quae Fidentia" commemoratur, quod nomen omnibus in codicibus ita exhibetur; apud Strabonem quoque (III p. 141) „Julia" urbs, eadem in regione sita, citatur. Quo de oppido cum alibi nihil referatur atque cum „Juliam" Hispani oppidi vetus nomen esse non arrideat, Ukert[1]) „Juliam" Strabonis et Plinii esse „Uliam" statuit, quod oppidum apud scriptores saepius occurrit bell. Hisp. c. 4; bell. Alexandr. c. 61; Ptolem. geogr. II 4,11; itin. Antonin. p. 412; geogr Ravenn. IV 44) et inter Cordubam et Ipagrum situm erat. Qua de quaestione Aem. Huebner[2]) ita iudicat: „Eam (scil. Juliam) esse Uliam cum aliis Ukertus posuit non sine probabilitate, praesertim, cum in titulo Ipagrensi (C. I. L II 1516) homo quidam Fidentinus nominetur, ‚Fidentiae' vero nomen Uliae admodum conveniat, quod ea civitas omni tempore optime de populo Romano merita sit (bell Hisp. 3,3) Mirandum certe est, quod alia Uliae mentio apud Plinium non exstet atque Julia Fidentia oppidi Hispani nomina habent certe, quo offendamur; nec tamen hae aliaeve rationes idoneae mihi visae sunt, ad Juliam Uliamque confidenter coniungendas." Oppidum certe Caesaris aetate „Ulia" audiebat atque altero saeculo rursus item; Augusti aetate autem oppidum, quod fortasse anno 45 ab Julio Caesare Fidentiae cognomen acceperat, false pro „Ulia Fidentia" ab auctoribus „Julia Fidentia" vocabatur, quippe qui nominum „Juliae Faventiae" et „Juliae Constantiae" analogiam secuti sint; postea autem recta forma „Ulia" rursus usurpabatur. Pro certo de illa quaestione quicquam statui nequit; „Julia Fidentia" et „Ulia" fortasse prorsus diversa oppida erant.

---

[1]) Geogr. ant. p. 366.
[2]) C. I. L. II p. 206.

15. Julia Transducta (Joza) = Tingentera.

Apud Strabonem (III p. 140) haec leguntur: „Ἦν δὲ καὶ Ζῆλις τῆς Τίγγιος ἀστυγείτων, ἀλλὰ μετῴκισαν ταύτην εἰς τὴν περαίαν Ῥωμαῖοι, καὶ ἐκ τῆς Τίγγιος προςλαβόντες τινάς, ἔπεμψαν δὲ καὶ παρ' ἑαυτῶν ἐποίκους καὶ ὠνόμασαν Ἰουλίαν Ἴοζαν τὴν πόλιν“. Julia Joza non diversa est a Transducta Julia, quod oppidum in nummis (Eckhel I. p. 30): „Julia Traducta“ et apud Ptolemaeum (II 4,6), Marcianum Heracleotam, Ravennatem (IV 45): „Transducta“ vocatur. „Joza“, Phoenicium vocabulum, idem significat atque „Transducta“[1]. Quod oppidum, inter Carteiam et Gades situm, apud Melam (II 6,9), qui ibi natus erat, „Tingentera“ audit. Plinius (V 2) igitur, Tingenteram et Tingim confundens, errat, cum Tingim a Claudio Caesare appellatam esse „Traductam Juliam“ refert. Transducta Julia nomen, item atque similia nomina: „Contributa Julia“ et „Restituta Julia“ a Caesare anno 45 oppido, a se condito, vel aucto impositum est. „Transducta“ nomen etiam septimo saeculo usitatum erat, cum „Julia“ paulo post Augusti aetatem intercidisse videatur.

16. Gades = Augustanorum urbs Julia Gaditana.

Gades oppidum a Poenis in freto Gaditano conditum est. Quo de oppido legimus apud Plinium (IV 119): „(Gades) habet oppidum civium Romanorum, qui appellantur Augustani urbe Julia Gaditana“ atque apud Dionem (41,24) ad annum 49: „ἐτίμησε δὲ καὶ ἰδίᾳ καὶ κοινῇ πολλούς, καὶ τοῖς γε Γαδειρεῦσι πολιτείαν ἅπασιν ἔδωκεν“, deinde apud Livium (epit. CX): „Gaditanis (Caesar) civitatem dedit.“ Anno 49 igitur Julius Caesar Gadibus civitatem atque „Juliae“ cognomen dedit. Cum in titulo, Medinae Sidoniae reperto (C. I. L. II 1313), municipium Augustum Gaditanum occurrat, Kubitschek[2]) non Julium Caesarem sed Augustum oppido civitatem donasse iniuria statuit. Caesarem enim Gadibus civitatem donasse praeter Dionis et Livii verba etiam ordo cognominum, quem Plinius exhibet, indicat. Augustus fortasse oppido peculiaria privilegia donavit atque ex se Gades „municipium Augustum“ nominavit, ut docent tituli (C I. L. II 1313, 1729, 4277?). Qua de causa Julia cognomen non nisi Augusti aetate usurpatum esse videtur, cum „Augusta“ nomen sollemniter diutius adhiberetur.

---

[1]) Eckhel I. p. 29, 30.
[2]) de trib. Rom. orig. p. 140.

Lusitania.

17. Caesarobriga.

Caesarobriga, quae ad Tagum in confinio Lusitaniae et Tarraconensis provinciarum sita erat[1]), citatur apud Plinium (IV 118) in numero oppidorum stipendiariorum et in titulis (C. I. L. II 896, 897); nomen Caesarobriga, quod ad Julium Caesarem aut ad Octavianum pertinet, certe ante annum 27 oppido impositum est; Augustobriga enim, quae prope Caesarobrigam sita erat, post annum 27 condita est neque Augustus post illum annum ex duobus oppidis, paene vicinis, alterum „Caesarobrigam", alterum „Augustobrigam" nominasse videtur Caesarobriga, cum Plinio omisso nusquam apud auctores commemoretur, satis exigua fuisse videtur. „Briga", Celtica vocula, quae in multis Hispanis nominibus occurrit, significat „arcem", „castra" vel tale quid; Caesarobriga est igitur latine: „Caesaris arx", vel vernacule „Caesarsburg."

18. Olisipo = Felicitas Julia.

Olisipo, ad Tagi dextram ripam sita, apud Plinium (IV 117) audit: „municipium civium Romanorum Olisipo, Felicitas Julia cognominatum." Cognomen „Felicitas Julia", quod etiam in compluribus titulis (C. I. L. II 186, 187, 188, 190, alibi) occurrit, optime in annum 45 quadrare videtur, quo Caesar post victorias, apud Pharsalum, Thapsum, Mundam reportatas, totum imperium Romanum sibi subiecerat. Sub Philippo Arabe oppidum publice etiam „Felicitas Julia" audiebat.

19. Ebora = Liberalitas Julia.

Ebora oppidum, quod ab Olisipone in orientem vergebat, apud Plinium (IV 117) audit: „Ebora veteris Lati, quod idem Liberalitas Julia"; quod cognomen etiam in duobus titulis (Gruterus p. 225,3; p 489,4) exstat, cum apud chorographos solum nomen „Ebora" reperiatur. „Liberalitas" cognomen pertinet sine dubio ad ius Latinum, quod oppido a Caesare anno 45 donatum esse videtur; Eboram et Olisiponem enim eodem tempore a Caesare privilegiis auctas esse propter similitudinem cognominum putem.

20. Pax Julia (Augusta).

Pax Julia, quae a Scallabi in meridiem vergebat, apud Plinium (IV 117): „colonia Pacensis", apud Ptolemaeum (II 5,5), in itinerario Antonini (p. 425, 427, 431), apud Ravennatem (III 43), in

---

[1]) Aem. Huebner C. I L. II. p 111.

titulis (C. I. L. II 47, 48, 55): „Pax Julia" vocatur, cum apud Strabonem (III 151) „Pax Augusta" audiat. Oppidum a Caesare, fortasse anno 45, castelli loco una cum Norba et Scallabi institutum seu conditum est atque nomen allatum accepit. Colonia autem demum anno 25 ab Augusto eo deducta est[1] [2] atque illa de causa Strabo (l. c.) oppidum false „Pacem Augustam" appellat; sciebat enim Augustum coloniae esse conditorem. In nummis, Augusti aetate cusis, oppidum item „Pax Julia" audit (Eckhel I p. 13), quod nomen a Caesaris temporibus apud Romanos semper volgare erat.

21. Scallabis = Praesidium Julium.

Scallabis, quae ad Tagum sita erat, apud Plinium (IV 117) audit: Scallabis colonia, quae Praesidium Julium vocatur"; apud Ptolemaeum (II 5,7) quoque et in titulo (C. I. L. II 35) Scallabis colonia dicitur. „Julium Praesidium" cognomen Julius Caesar oppido imposuit, qui ibi castellum vel castra collocaverat[3]; colonia autem oppidum demum sub Augusto, fortasse anno 25, una cum Augusta Emerita factum est. „Praesidium Julium" cognomen tantum publice usurpatum esse videtur atque certe paulo post Augusti tempora prorsus intercidit.

22. Norba Caesarina (Caesarea).

Norba, item ad Tagum sita, hodie „Cáceres" nominatur[4]. Oppidum apud Plinium (IV 117) vocatur: „colonia Norbensis, Caesarina cognomine", apud Ptolemaeum (II 5,8) „Norba Caesarea", in titulo (C. I. L. II 694): „col. Norba Caesarina." Norba fortasse a Caesare, qui ibi castra collocavit, „Caesarina" appellata est, quod cognomen non ad coloniae deductionem pertinere ex nominum ordine, apud Plinium et in titulo allato usurpato, apparet. Praeterea Julius Caesar fere omnes colonias, a se deductas, „Julias" nominavit atque Augustus coloniis „Juliae" „Augustaeve" cognomina imposuit; „Caesarea", vel „Caesaria", vel „Caesarina" nomina autem fere semper oppidis sine deductione imponebantur. Colonia potius ab Augusto fortasse anno 25 deducta est[5]. „Caesarina" vel „Caesarea" cognomen altero saeculo certe etiam usitatum erat.

---

[1]) Aem Hue ner, C I. L. II p. 52,81.
[2]) Zumpt. Comment. epigr p. 369
[3]) Aem. Huebner. C I. L. II p 35, 52, 81.
[4]) Aem. Huebner, C I L. II p. 81.
[5]) Aem Huebner, C. I. L. II 52, 81.

Tarraconensis.

23. Calagurris Julia Nasica.

Calagurris Nasica Vasconum in territorio ad Hiberum sita erat; apud Plinium (III 24): „Calagurritani, qui Fibularenses cognominantur“, stipendiariorum = „Calagurritani, qui Nasici cognominantur“, autem oppidorum civitate donatorum in numero citantur. Fibularenses, parva stipendiaria civitas. nummos non cudit; Nasicae in oppido autem complures nummi reperti sunt (Mon. ling. Iber. p. 64), quorum priores quidam, fortasse Caesaris capite signati, epigraphen habent: „Calagurri Julia Nassica“, cum posteriores Augusti seu Tiberii capitibus signati, titulum habeant: „municipium Calagurris Julia.“ Caesar igitur Calagurri Nasicae civitatem et „Juliae“ cognomen donavit, quod cur Plinius vel potius Agrippa non attulerit, ignoro. Apud plurimos geographos oppidum modo „Calagurris“ seu Calagurris Nasica audit; apud Ravennatem (p. 309) autem solum nomen „Julia“ occurit, quod igitur non prorsus intercidit.

Gallia Lugdunensis.

24. Juliomagus = Angers.

Juliomagus, prope Ligerum sita, caput Andecavorum erat; oppidum ita audit apud Ptolemaeum (II 88) et in tabula Peutingeriana. Julius Caesar ante annum 51 Andecavorum oppido nomen „Juliomagum“ imposuisse videtur, quod significat latine: „Julii campum“; Celtica vocula „magus“ = „campus“ multis in Galliae oppidorum nominibus occurit. Nomen Juliomagus fere usque ad quartum saeculum usitatum erat; postea oppidum vocabatur: „civitas Andecavorum“ (Not. Gall. III 5), unde hodiernum nomen „Angers“ ortum est.

25. Caesarodunum = Tours.

Vocula „dunum“, quae in multorum Galliae oppidorum nominibus reperitur, idem significat, atque in Celtiberica lingua vox „briga“ scil. „arcem“, „castra“ vel tale quid; Caesarodunum igitur est latine: „Caesaris arx.“ Oppidum, quod ab Juliomago in orientem vergebat, Turonorum caput erat. Caesarodunum nomen, quod occurrita pud Ptolemaeum (II 8, 14) et in tabula Pentingeriana, oppido aut a Caesare ante annum 51, aut ab Octaviano ante annum 27 impositum est; potius autem de Caesare cogitem, cum „Augustodunum“ ad Augustum spectet, qui ante annum 27 in Gallia moratus non est. Oppidum usque ad quartum saeculum

sine dubio „Caesarodunum“ audiebat, postea autem apud Ammianum (XX 11, 12), Sulpicium Severum (III 8), in notitia Galliarum (III 2) aut „Turoni“ aut „Turonorum civitas“ appellatur, unde hodiernum nomen „Tours“ evasit.

26. Juliobona = Lillebonne.

Celtica vox „bona“, quae in nonnullis oppidorum nominibus occurrit, significat: „aedificium“, „casam“, „domum“, similia; Juliobona igitur est latine: „Julii domus“ vel vernacule „Juliushütte.“ Juliobona, prope Sequanae ostium in Caletorum territorio sita, ita audit in tabula Peutingeriana, in itinerario Antonini (p. 382, 384, 385), apud Ptolemaeum (II 8,5), in actis concilii Cabilonensiis a. 650 (Harduin. III 952). Julius Caesar ante annum 51 Caletorum capiti, fortasse a se condito, nomen „Juliobonae“ imposuit, quod apud veteres semper usitatum erat; inde hodiernum oppidi nomen „Lillebonne“ ortum est.

Belgica.

27. Caesaromagus = Beauvais.

Caesaromagus, Bellovacorum caput, quod a Lutetia non multum aberat, ita audit apud Ptolemaeum (II 9,8), in itinerario Antonini (p. 380, 384), in tabula Peutingeriana. Caesaromagus quoque a Caesare ante annum 51 condita esse videtur, quod nomen quarto saeculo interiit; in notitia Galliarum (VI 10) enim „civitas Bellovacorum“ occurrit, unde hodiernum nomen „Beauvais“ esse ortum perspicuum est.

Britannia.

28. Caesaromagus.

Caesaromagus, Trinobantium oppidum, quod in via a Londinio Camulodunum ferente situm erat, commemoratur in itinerario Antonini (p. 479, 480), in tabula Peutingeriana („Baromaei“), apud Ravennatem (V 31). Oppidum anno 54 Trinobantibus subiectis Caesaris in honorem illud nomen accepisse videtur (bell. Gall. V 20,21), quod septimo saeculo etiam volgare erat.

Lydia.

29. Juliogordus = Gordus.

Apud Ptolemaeum (V 2,16) post Magnesiam et Thyatiram „Juliogordus“ commemoratur, quae etiam in nummis ex Traiano usque ad Gallienum (Head H. N. p. 549) occurrit. Juliogordus

sine dubio componenda est cum „Gordo", quod oppidum a Thyatira ad orientem vergebat atque apud Hieroclem (p. 671), Socratem (hist. eccles. VII 36), in actis conciliorum (Harduin. IV 463, VI 215, II 730) citatur. Gordo igitur ab Julio Caesare Octaviano, utique ante annum 27, nomen „Juliogordus" impositum est, quod tertio saeculo etiam usurpabatur, cum postea vetus nomen rursus usu receptum sit.

Bithynia.

30. Juliopolis = Gordium.

Gordium, Galatiae et Bithyniae in confinio situm, a Plinio (V 143) Bithyniae tribuitur. Oppidum, quod prius Phrygiae regum fuerat caput, paulatim ceciderat; sed denuo florere coepit, ex quo „Juliopolim" nomen acceperat, quod reperitur apud Strabonem (XII p. 574), Plinium (l. c.), Ptolemaeum (V 2,24), in itinerariis (p. 142, 574) in tabula Pentingeriana, in patrum Nicaenorum nominibus (I 124, III 119, IV 112, V 118, alibi, ed. Gelzer) in actis conciliorum (Harduin. a. a. 325, I 316 E; a. a. 314, I 280 D; a. a. 536, II 1403 B; a. a. 870, V 926 A) in notitia episcopatuum (VIII 152), in nummis Caracallae et Getae (Head. H. N. p. 443). Juliopolis nomen oppido paulo post pugnam Actiacam a Cleone quodam latrone in Octaviani honorem impositum est, ut Strabo (l. c.) refert. Octavianus enim Cleoni, latronum duci, quippe qui post pugnum Actiacam, Antonii partibus relictis, ad se transiisset, permiserat, ut oppidum illius Gordium augeret. Plinius (l. c.) oppidum vocat: „Gordiucome, quae Juliopolis vocatur", Strabonis verbis (ἐκ Γορδίου κώμης et cet.) abusus. Gordium ex anno 30 apud Romanos semper „Juliopolis", vocabatur.

Phrygia.

31. Julia = Juliopolis.

Ptolemaeus (V 2,24) inter Synnadam et Acmoniam „Juliopolim" affert, quo de oppido nihil alibi refertur; Juliopolis sine dubio cum „Julia" componenda est, quae apud Plinium (V 29) in conventu Synnadensi citatur atque in nummis (Head. H. N. p. 568) a Tiberio usque ad Valerianum occurrit. „Juliam" esse novum nomen oppidi „Ipsi" Ramsay"[1]) suo iure coniecit; quod nomen oppido ab Octaviano intra annos 31—27 impositum esse videtur atque usque ad quartum saeculum usitatum erat. Postea autem

---

[1]) Asia Minor p. 35, 140.

vetus nomen „Ipsus" rursus usurpabatur (Hierocles 677; Georgius Cyprius 376, Gelzer; acta concil. Chalced. a. a. 451, Harduin. II 368 D.). Ptolemaeus oppidum pro „Julia" false „Juliopolim" appellat, ut Claudiadem false „Claudiopolim" nominat.

Cilicia.

32. Juliosebaste = Nephelis?

Apud Hieroclem (709) atque in notitia episcopatuum (I 835, III 729, X 786, 787) „Juliosebaste" (Heliusebaste) intra Antiochiam et Selinuntem occurit, quae urbs in epistula ad Leonem a 458 (Mansi VII 563) „Sebastia" audit. Juliosebaste sine dubio in ora maritima intra Antiochiam et Selinuntem sita erat et fortasse cum „Nepheli" componenda est, quod oppidum apud Ptolemaeum (V 8,1) et in actis concil. Chalced. intra oppida modo dicta citatur. „Juliosebaste" cum „Sebaste", prope „Solos" sita, confundi non debet, cum utrumque oppidum apud Hieroclem commemoretur. Num Nephelis et Juliosebaste idem oppidum sit atque ad quem imperatorem nomen „Juliosebaste" pertineat, pro certo explorari non potest. Haud scio an oppidum in Caesaris honorem ita nominatum sit, item atque Tarsus cognomen „Juliopolim" eiusdem in honorem sibi imposuit.

33. Juliopolis = Tarsus.

Tarsus Caesaris in honorem, cuius partes in bello civili secuta erat, „Juliopolim" nomen sibi imposuit, ut narrat Dio (47,26). Cum apud ceteros auctores oppidum non nisi „Tarsus" vocetur: „Juliopolis" nomen usitatum fuisse non videtur; in nummis quoque illud nomen non occurrit.

Cappadocia.

34. Juliopolis.

In Cappadocia a Ptolemaeo (V 7,11) „Juliopolis", prope „Barzalonem" sita, commemoratur, quod oppidum Ramsay[1]) ad Euphratis ripam ponit. Alibi nihil de illo oppido refertur, quod anno 47, cum Caesar illis in regionibus contra Pharnacem bellum gereret, ab illo conditum esse videtur atque certe altero saeculo etiam „Juliopolis" audiebat.

---

[1]) Aia Minor p. 300.

Aegyptus.

35. Juliopolis = Nicopolis?

Apud Plinium (VI 102) „Juliopolis, quae duo milia passuum ab Alexandria aberat“, commemoratur, quod oppidum cum „Nicopoli“ (Hierocles 730) componendum esse videtur, cum Mannert[1]) „Juliopolim“ fuisse cognomen Eleusinis, Alexandriae suburbii, censeat. Utique „Juliopolis“ nomen oppido aut a Caesare anno 47, aut ab Octaviano anno 30 impositum est, quod postea fortasse in „Nicopolim“ mutatum est. Plinio excepto enim apud auctores nusquam „Juliopolis“ Aegypti occurrit.

Mauretania Tingitana.

36. Tingis = Julia Tingis Caesarea.

Tingis, quae in freto Gaditano sita erat, ita audit apud Plinium (V 2), Strabonem (p. 140), Melam (I 5), Dionem (48, 45; 60, 9), in itinerario Antonini (2, 4, 8, 24), apud Ravennatem (III 11, V 4), Solinum (24,1). Tantum apud Ptolemaeum (IV 1,5) oppidum vocatur: Tingis Caesarea. Ab Octaviano Tingis anno 38 civitatem accepit et municipium facta est (Dio 48,45); quo tempore etiam „Caesareae“ nomen accepisse videtur, quod altero saeculo etiam usitatum erat, tertio autem intercidit. Sine dubio cognomen „Traducta Julia“ ad Baeticae oppidum „Tingenteram“ pertinet, ut iam vidimus. „Julia“ autem cognomen in nummis Augusti et Agrippae reperitur (Head H. N. p. 748).

Praeterea Ancyra Phrygiae et Clypea Zeugitaniae sollemne „Juliae“ cognomen acceperunt, ut ex nummis apparet (Head H. N. p. 557, 742). „Laodicea ad mare“ quoque, quae postea „colonia Septimia“ facta est, anno 48/47 a. Chr. n. in honorem Caesaris „Juliae“ cognomen assumpsit, quod in nummis usque ad Septimium occurrit (Mionnet. V p. 241).

---

[1]) Geograph. ant. I. p. 626.

Secundum caput.

Augustus imperator (27 a. Chr. n. — 14 p. Chr. n.)

A. Coloniae, quae ex Augusto intra annos 27 a. Chr. n. — 14 p. Chr. n. sollemnia cognomina acceperunt.

Italia.

Gallia Cisalpina.

61. Col. Julia Augusta Taurinorum = Torino.

Augusta Taurinorum, ad Padum sita, caput Taurinorum erat. Oppidum audit „Augusta Taurinorum colonia" apud Plinium (III 123), Tacitum (Hist. II 66), in titulo suburbano (Ovelli 2179), in titulo Taurinensi (C. I. L. V 7039) et modo „Augusta Taurinorum" apud: Ptolemaeum (III 1,35), in tabula Peutingeriana, in titulis Taurinensibus (C. I. L. V 4129, 6480, 6991, 7033). Plenius nomen „Julia Augusta Taurinorum" in uno titulo (l. c. 7047) atque „Julia Augusta" nomen in duobus titulis (l. c. 6954, 7629) occurrit. In itinerariis autem, apud Ammianum (15, 8, 18), apud Ravennatem (IV 30), deinde in multis titulis oppidum modo „Taurini" vocatur, cum Appianus (bell. Hannib. c. 5) vetus nomen „Taurasiam" exhibeat. Coloniam fere anno 27 ab Augusto deductam esse cum Theodoro Mommsen [1]) censeo. Cognomina „Julia Augusta" enim non semper duplicem deductionem indicant [2]. Immo, cum oppidum saepius modo „Augusta Taurinorum" audiat, colonia a solo Augusto deducta esse videtur; quod autem „Julia" quoque cognomen occurrit, anno 27 „Augustus" cognomen, quod Octavianus illo anno sibi imposuit, non ita usu tritum atque notum erat. Qua de causa intra annos 27/26 Taurasiae et multis aliis coloniis imprimis Macedoniae utrumque et „Juliae" et „Augustae" cognomen datum est, ex quibus, quod attinet ad Taurasiam, „Julia" tantum in titulis servatum est, cum auctores, vulgarem usum secuti, oppidum „Augustam Taurinorum" vocent. Oppidum ita audiebat primo et altero saeculis p. Chr. n., tertio autem paulatim „Augusta" cognomen interiit atque solum nomen „Taurini" usurpabatur, unde hodierna forma „Torino" evasit.

---

[1]) C. I. L. V p. 779.
[2]) Th. Mommsen, Hermes XVIII p. 184.

62. Col. Augusta Praetoria = Aosta.

Augusta Praetoria Salassorum in territorio ad Duriam maiorem sita erat. Salassi, indomita atque inculta gens, saepe in Galliam Cisalpinam incursiones fecerant; qua de causa Augustus eos prorsus devincere sibi proposuit. Atque primum Antistium Veterem (Appian., Illyr. c. 17), deinde, anno 34, M. Messalam Corvinum (Dio 49, 34; Strabo IV p. 205) ad illos vincendos misit. Sed Terentius Varro demum anno 25 eos coercuit atque perdomuit; paulo post, etiam anno 25, colonia Augusta Praetoria eo deducta est (Strabo l. c.; Dio a. a. 25: 53,25; Cassiodor chron. ad a. 25 . Oppidum audit „Augusta Praetoria“ apud Plinium (III 123), Dionem (53,25), Ptolemaeum (III 1,34), in itinerario Antonini (p. 345, 347, 351), in tabula Peutingeriana, apud Ravennatem (IV 30, Preduria, Predula), in titulo suburbano (C. I. L. VI 2404 b. 19), cum apud Strabonem (l. c.) solum nomen „Augusta“ reperiatur. Cur colonia „Praetoria“ sit cognominata, Suetonius (Aug. c. 21) his verbis narrat: „Eo ipso loco, quo Varro castra habuerat, colonia condita est, eoque deducti sunt tria milia veteranorum ex praetorio.“ Oppidum aqud veteres semper „Augusta Praetoria“ audiebat, quod nomen etiam septimo saeculo occurrit. Postea autem medio, quod dicitur, aevo „Praetoria“ cognomen periit atque oppidum modo „Augusta“ vocabatur, unde hodiernum nomen „Aosta“ ortum est.

63. Brixia = col. Civica Augusta Brixia.

Brixia, ad Mellum flumen sita, apud Geographos et in multis titulis ita audit: Plinius (III 130) Brixiam coloniam dicit atque in duobus titulis Brixiensibus (C I. L. V 4212, Pais n. 1273) reperitur: „col. Civica Augusta Brixia.“ Colonia paulo post annum 27 ab Augusto deducta est[1]. „Civica“ cognomen Brixiam a ceteris coloniis, quae post pugnam Actiacam atque insequentibus annis deductae sunt, seiungit; cives enim, non veterani, eo deducti sunt. Cognomina „Civica Augusta“ tantum publice occurrunt.

Umbria.

64. Ariminum = col. Augusta Ariminum.

Ariminum, in Umbria ad mare situm, apud auctores semper et in multis titulis ita audit. Plinius (III 115) Ariminum coloniam dicit atque in tribus titulis (C. I. L. XI 408, 414; XII 1529): „col. Augusta Ariminum“ occurrit. Oppidum illorum duodeviginti

[1]) Th. Mommsen, C. I. L. V p. 439.

oppidorum in numero erat, quorum agri, ut veteranis assignarentur, triumviri anno 43 decreverant (Appian. b. c IV 3). De triumvirorum illa deductione et de cognomine, oppido tum imposito, nihil scimus; Augustus autem, cum anno 27 viam Flaminiam usque ad Ariminum stravisset, numerum colonorum auxisse et coloniae „Augustae" cognomen dedisse videtur[1], quod tantum publice usurpabatur.

Campania.

65. Nola = col. Felix Augusta Nola.

Nola, Campaniae celebre oppidum, apud geographos semper ita audit; Plinius (III 63) oppidum coloniam dicit. In libro coloniarum (p. 236) legimus: „Nola, muro ducto, colonia Augusta, Vespasianus Augustus deduxit" atque in titulo Nolano (C. I. L. X 1244) oppidum audit: „colonia Felix Augusta Nola." Theod. Mommsen[2]) suo iure Sullam primum coloniam eo deduxisse statuit; in coloniarum libro enim (l. c.) „limites Sullani" commemorantur atque in aliquo titulo (C. I. L. X 1273) „veteres coloniae" occurrunt; „Felix" deinde cognomen ad Sullam pertinere videtur. Augustus sine dubio, seu paulo post annum 27, seu anno 14, quo ipse se complures veteranorum colonias deduxisse refert (Mon. Ancyr. III 22), coloniam auxit et „Augustam" nominavit. Plinius enim Italiae colonias non nisi ab Augusto deductas, seu auctas, affert; praeterea „Augusta" cognomen fere semper ad Augustum pertinet. Vespasiani aetate fortasse iterum coloni Nolam deducti sunt nullo autem novo cognomine adiecto. Plenum nomen „Felix Augusta Nola" tantum publice usurpabatur.

66. Puteoli = col. Neronensis Claudia Augusta (Flavia).

Puteoli, Campaniae oppidum, prioribus temporibus „Dicaearchia" audiebat, ut Festus (gloss. p. 72), Pausanias (IV 35,12: VIII 7,3), Polybius (III 91,4), alii referunt. Augustus Puteolos, quo iam anno 194 civium colonia deducta erat (Velleius I 15; Livius 42,5), veteranorum coloniam deduxit, ut in libro coloniarum (p. 236) narratur. Plinius quoque (III 61) Puteolos coloniam dicit; deinde oppidum in titulo (C. I. L X p. 182, Rénier n. 2182), quem ante Neronem esse dedicatum Theod. Mommsen[3]) censet, atque in libro coloniarum (l. c.) audit: „colonia Augusta." Anno 60 autem „vetus oppidum Puteoli ius coloniae et cognomentum a Nerone

---

[1]) Eugen Bormann: C. I. L. XI p. 76.
[2]) Hermes XVIII p. 185.
[3]) C. I. L. X p. 182.

apiscuntur" (Tacitus Ann. XIV 27); illud vetus oppidum est municipium, quod praeter coloniam Augustam in oppido fuerat. Anno 60 igitur Puteoli una colonia facta est, quae nominata est: „col. Claudia Neronensis Puteoli" (C. I. L. IV 2152) sive: „col. Neronensis Claudia Augusta Puteoli" (C. I. L. X 5369). Post damnationem autem Neronis memoriae colonia audiebat: „Flavia Augusta Puteoli" (C. I. L. VI 3884, XIII 1960). Volgare nomen oppidi apud Romanos semper erat „Puteoli".

Sicilia.

67. Panormus = col. Augusta Panormitana.

Panormus, Siciliae celebris urbs, apud Plinium (III 90) colonia non dicitur, cum Strabo (VI p. 272) haec referat: „Πάνορμος δὲ καὶ Ῥωμαίων ἔχει ἀποικίαν", et in titulis Panormus aut „colonia" (C. I. L. X 7286) aut: „colonia Augusta" (l. c. 7279) vocetur. Cum in Agrippae et Augusti laterculis Siciliae, quos Plinius secutus est et quos ante postremos Augusti annos conscriptos esse Otto Cuntz[1]) ostendit, Panormus coloniae loco citata non sit, coloniam eo ultima Augusti aetate deductam esse probabile est. Strabonis enim testimonium et titulus modo allatus coloniam etiam Augusto superstite deductam esse demonstrant. Aliud testimonium est nummus quidam coloniae Panormitanae (catal. numm. Sic. Mus. Brit. p. 125 n. 45), in quo Augusti caput signatum est. Tertio saeculo certe Panormus publice etiam audiebat „colonia Augusta".

Sardinia.

68. Uselis = col. Julia Augusta Uselis.

Uselis, quae a Neapoli ad orientem vergebat, apud Ptolemaeum (III 3,1) colonia dicitur atque in titulo Uselensi (C. I. L. X. 7845), anno 158 conscripto, legimus: „col. Julia Augusta Uselis." Sed Augustus coloniam eo non deduxit; Plinius enim (III 85) expressis verbis sua aetate tantum unam coloniam (scil. „Turris Libisonis") in Sardinia fuisse dicit, quae ante annum 31 deducta est, ut supra vidimus. Praeterea Augustus in monumento Ancyrano (V. c. 35,16) Sardiniam illarum provinciarum in numero non affert, in quas, imperator factus, colonias deduxerit. Uselim itaque ab Augusto municipium Julium Augustum factum esse Theod. Mommsen[2]) coniecit. Colonia autem post Plinii aetatem, certe ante

---

[1]) De Augusto p. 39.
[2]) C. I. L. X p. 810.

annum 158, fortasse sub Hadriano deducta est, sed non Tiberio imperante, ut Otto Cuntz[1]) censet. „Julia" et „Augusta" cognomina tantum publice usurpabantur.

Hispania Baetica.

69. Astigi = col. Augusta Firma Astigi.

Astigi oppidum, ad Singulim flumen situm, apud Plinium (III 12) audit: „Astigitana colonia cognomine Augusta Firma" et in duobus titulis (C. I. L. II 1479, 1630): „col. Augusta Firma", cum in alio titulo (C. I. L. II 1475) modo „col. Astigitana" vocetur. Nummum quendam (Eckhel I p. 45; Vaillant I p. 14), qui habet inscriptionem: „col. Ast. Augusta", A. Zumpt[2]) suo iure non ad Asturicam Augustam, sed ad Astigim pertinere censet. Astigim ab Augusto fortasse anno 14 (Mon. Ancyr. III c. 22; Dio 54,23) veteranorum colonia deducta est; „Firma" cognomen enim ad veteranorum deductionem pertinere videtur. „Augusta" et „Firma" cognomina tantum sollemniter usurpabantur.

70. Tucci = col. Augusta Gemella Tucci.

Tucci oppidum Turdulorum in territorio situm erat. Apud Plinium (III 12) Tucci audit: „colonia Augusta Gemella", cum ceteri auctores oppidum modo „Tucci" appellent. „Gemella" oppidum autem, quod ab Appiano (bell. Iber. c. 68), in itinerario Antonini (p. 411), a Ravennate (IV 44) commemoratur, fortasse diversum est a Tuccis. In compluribus titulis (C. I. L. II 1674, 1676, 1680, 1686, 3278) deinde: „col. Augusta Gemella Tuccitana" occurrit. Colonia ab Augusto item anno 14 una cum colonia Astigitana deducta esse videtur; Gemella cognomen enim ad duas legiones eo deductas pertinet. Anno 14 Augustus complures veteranorum colonias imprimis in Asiam, Hispaniam, Galliam deduxit (Mon. Ancyr. III c. 22; Dio 54 c. 23). „Augusta Gemella" cognomen non nisi publice adhibebatur.

Lusitania.

71. Augusta Emerita = Merida.

Augusta Emerita, ad Anam sita, ita audit apud Plinium (IV 117), Strabonem (III p. 151, 166), Ptolemaeum (II 5,8), Dionem (53,26; a. a. 25), Ravennatem (IV 44, Augusta Merita), deinde in nummis (Eckhel I p. 12, Vaillant I p. 50) atque in

---

[1]) Jahrb. f. Philol. Suppl. XVII p. 518.
[2]) Comment. epigr. p. 365.

titulo (C. I. L. II 492) per compendium „C. A. E." (col. Aug. Emer.) In alio titulo autem (l. c. 32) oppidum modo „colonia Emeritensis" vocatur atque in itinerario Antonini (p 414—444) et apud Isidorum (orig. XV 1,69) solum nomen „Emerita" reperitur. Colonia post bellum Cantabricum confectum anno 25 ab Augusto deducta est, ut Dio refert (53,26) et Hyginus (de limit. constit. p. 171 Lachmann) confirmat; veteranos quintae et decimae legionum ibi collocatos esse nummi (l. c.) docent. Cur colonia „Emerita" vocata sit, Isidorus (l. c.) his verbis narrat: „Emeritam Caesar Augustus aedificavit, postquam Lusitaniam et quasdam insulas oceani cepit, dans ei nomen ab eo, quod ibi milites veteranos constituisset; nam ‚emeriti' dicuntur veterani, soluti militia." Colonia orta est ex castris stativis, item atque Norba, Pax Julia, Scallabis coloniae, quae stativa iam a Caesare instituta esse videntur[1]. Quibus quattuor coloniis, anno 25 deductis, Augustus Lusitaniam tutari atque munire voluit. „Augusta Emerita" nomen usque ad tertium saeculum volgare erat; tunc autem „Augusta" nomen periit atque oppidum ex illo tempore modo „Emerita" audiebat, unde septimo fere saeculo „Merita" et postea „Merida" factum est.

Tarraconensis.

72. Ilici = col. Julia Caesarea Ilici Augusta.

Ilici oppidum, Contestanorum in territorio ad mare situm, a Carthagine Nova in septemtrionem vergebat. Plinius (III 19) oppidum „coloniam immunem" dicit, qui item atque Mela (II 6), Ptolemaeus (II 6,14), Ravennas (V 3) solo nomine „Ilici" utitur. In compluribus nummis Augusti et Tiberii autem (Eckhel I 51) inscriptiones exstant: „C. I. Il A." id est: col. Julia Ilici Augusta, vel „C. C. Il. A.", id est: „col. Caesarea Ilici Augusta". Quibus in nummis saepe aquila, seu vexillum, inter duas aquilas interiectum, occurrunt; quae signa militaria Ilicim coloniam veteranorum fuisse demonstrant. Primo fortasse iam ab Julio Caesare Ilicim colonia deducta est; „Augustae" cognomen enim non una cum Juliae Caesareaeve cognominibus coloniae esse impositum iam ex cognominum ordine apparet; praeterea, quod „Julia" et „Caesarea" cognomina occurrunt, ad Julium Caesarem, ut primum deductorem spectare videtur. Altera deductio sine dubio aut anno 25 aut anno 14 facta est.

[1]) Aem. Huebner: C. I. L. II p. 53, 82.

73. Barcino = col. Faventia Julia Augusta Pia Barcino.

Barcino oppidum, ad mare situm, quod a Tarracone in septemtrionem vergebat, apud Plinium (III 22) audit: „colonia Barcino, cognomine Faventia"; solum nomen „Barcino" occurrit apud Melam (II 6), Ptolemaeum (II 6,18), in itinerario Antonini (p. 390, 398), apud Ravennatem (V 3). In compluribus autem titulis Barcinonensibus (C. I. L. II 4536—4548) reperitur: C. F. I. A. P. Barcin.", id est: col. Faventia Julia Augusta Pia Barcino. Cognomina „Faventiam Juliam" iam Caesarem oppido imposuisse cum Aemilio Huebner[1]) censeo; neque vero colonia deducta, sed Latio vel civitate donatae Caesar Barcinoni illa cognomina imposuit. Multa enim similia cognomina ab Julio Caesare eodem tempore (scil. anno 45) Hispaniae oppidis, Latio seu civitate donatis, imposita sunt, ut supra ostendi. Ab Augusto autem anno 25 seu a. 14 veteranorum colonia Barcinonem deducta est, quae cognomina accepit „Augustam Piam". Volgare nomen oppido semper erat vel „Barcino" vel seriore aetate „Barceno", unde hodiernum nomen „Barcelona" evasit.

74. Caesaraugusta colonia = Salduba = Zaragossa.

Caesaraugusta, quae prius Salduba audiebat, ad Hiberum sita erat; oppidum colonia dicitur apud Plinium (III 24), in titulis (C. I. L. II 2992, 4249), alibi. „Caesaraugusta" nomen reperitur apud Plinium (l. c.), Strabonem (III p. 151, 161), Ptolemaeum (II 6,63), Melam (II 6), in itinerario Antonini (p. 392, 433), apud Ausonium (ep. 24, 88), Ravennatem (IV 43), deinde in multis titulis (C. I. L. II 2992, 4249, III 6417, VI 9, IX 793) atque in nummis (Eckhel I p. 36), ubi signa militaria legionum IV., VI., X. occurrunt. Colonia veteranorum Saldubam post bellum Cantrabricum anno 25 deducta esse videtur (Dio 53,26; Isidor. orig. XV 1,66); quo tempore nomen „Caesaraugusta" oppido impositum est. Augustam Emeritam enim et Caesaraugustam eodem tempore (anno 25) colonias esse factas iam nomina mihi indicare videntur. In utriusque enim oppidi nomine „Augusta" vox peculiaris pars est; „Augusta Emerita" et „Caesaraugusta" nomina usitata atque volgaria erant, cum in ceterarum Hispaniae coloniarum nominibus „Augusta" tantum sollemne cognomen sit. Quod O. Kubitschek[2]) oppidum, quippe quod, (ut doceant tituli) in tribu Aniensi fuisset, iam ab Julio Caesare civitatem accepisse

[1]) C. I. L. II p. 590.
[2]) De trib. orig. p. 168.

censet, illa coniectura non arridet; secundum illius sententiam enim nominis pars „Caesar“ iam ad Caesarem pertinet, qui oppidum „Caesaream“ appellasse ab illo viro docto putatur. Sed nomen ipsum „Caesaraugusta“, quod ita connexum apud omnes auctores latinos, in titulis, in nummis occurrit, mihi plane ostendere videtur Augustum totius nominis esse auctorem atque illud dividendum non esse. Accedit Isidori (l. c.) testimonium, qui expressis verbis nomen „Caesaraugustam“ ad Caesarem Augustum pertinere refert. Oppidum apud Romanos semper ita audiebat. In nummis Visigothicis saeculi sexti et septimi (Heiss, Mon. Wis. p. 48) reperitur: „Cesarogosta“ seu „Cesarausta“, unde hodiernum nomen „Saragossam“ vel „Zaragossam“ ortum esse apparet.

75. Libisosa = col. Libisosa Foroaugustana.

Libisosa in via a Laminio Saetabim ferente sita erat. Nomen oppidi apud auctores varie traditur; apud Plinium (III 25) oppidum audit: „colonia Libisosona cognomine Foroaugustana“, quam formam „Libisosonam“ per dittographiam ex „Libisona“ et „Libisosa“ esse ortam Aem. Huebner[1]) recte observarit. Apud Ptolemaeum (II 6,59) reperitur forma „Λιβισῶκα“, apud Ravennatem (IV 44): „Lebisona“, in nummis (Sestini p. 168): „Libisona“, in itinerario Antonini (p. 446): „Libisosia.“ Recta forma videtur esse: „Libisosa“, quae in titulis (C. I. L. II 3234, 4254) reperitur et quae ad itinerarii formam proxime accedit. Colonia, quae „Foroaugustana“ vocata est, anno 14 a. Chr. n. deducta esse videtur. Cognomen „Foroaugustana“ quod tantum apud Plinium occurrit, mature periit.

76. Dertosa = col. Julia Augusta Dertosa.

Dertosa, prope ostium Hiberi sita, apud Plinium (III 23) „oppidum civium Romanorum“, apud Strabonem (III 159) autem „colonia“ dicitur; praeterea Dertosa occurrit apud Melam (II 6), Ptolemaeum (II 6,64), in itinerario Antonini (p. 399). In nummis (Eckhel I p. 47) Augusti et Tiberii reperitur inscriptio: „C. I. A. D.“ id est: „col. Julia Augusta Dertosa“, non: „Dertona“, ut censuerunt nonnulli viri docti[2])[3]). Caesar oppido dignitatem municipii atque nomen: „Hiberae Juliae Ilercavoniae Dertosae“ dedit, ut Aem. Huebner (l. c.) ostendit; quod plenum nomen in nummis Ilercavoniae occurrit. Colonia Dertosam postremis Augusti annis deducta est, ut apparet ex Plinii (l. c.) et Strabonis (l. c.)

---

[1]) C. I. L. II p. 434.
[2]) A. Zumpt, Comment. epigr. p. 368.
[3]) Aem. Huebner, C. I. L. II p. 535.

testimoniis. O. Cuntz[1]) enim Agrippae et Augusti laterculos Hispaniae, in quibus Dertosa colonia non dicitur, paulo ante postremos Augusti annos conscriptos esse ostendit. Augustus coloniae praeter „Augustae“ etiam, ut saepius fecit, „Juliae“ cognomen imposuit, quia oppidum antea municipium Julium fuerat, ut vidimus.

Gallia Narbonensis.

77. Aquae Sextiae = col. Julia Augusta Aquae Sextiae.

Aquae Sextiae, quae a Massilia in septemtrionem vergebant, apud Plinium (III 36) „oppidum Latinum“, apud Ptolemaeum (II 10,15) autem „colonia“ dicuntur. In titulis oppidum aut: „col. Julia Aquae“ (C. I. L. XII 705, 4414, 4424) aut „col. Julia Augusta Aquae Sextiae“ audit. Oppidum, anno 122 a Sextio Calvino consule castelli loco conditum (Cassiodor. chron. p. 618), ab Julio Caesare ius Latii accepit[2]) atque tum (col.) „Aquae Juliae“ (in titulo, Gruter. p. 415) vocatum est. Colonia civium autem ab Augusto certe post annum 27, fortasse anno 14, deducta est (Mon. Ancyr. III 22; Dio 54,23). Galliae enim notitia ante annum 16 a. Chr. n. conscripta est[3]), ubi omnes Caesaris coloniae, in Narbonensi provincia sitae, „oppida Latina“ dicuntur. Oppidum in titulis propterea paulisper modo „col. Julia“ ac non „Augusta“ audit, quia antea col. Julia fuerat, quod in memoria retinebatur. Plenum sollemne nomen igitur post Augusti deductionem erat: col. Julia Augusta Aquae Sextiae.

78. Nemausus = col. Augusta Nemausus.

Nemausus, quae, ab Arelate in occidentem versus, Arecomicorum in territorio sita erat, apud Plinium (III 37) „oppidum Latinum“ et apud Ptolemaeum (II 10,10) „colonia“ dicitur. Augustus anno 16 a. Chr. n. Nemausum coloniam deduxisse videtur, cui „Augustae“ cognomen imposuit (C. I. L. XII 5891). In titulo Nemausino enim (l. c. 3151) Augustum anno 16 coloniae muros et portas dedisse refertur. Volgare nomen oppidi erat modo „Nemausus.“

79. Apollinaris Reiorum = col. Jul. Aug. Apoll. Reiorum.

Apollinaris Reiorum, prope Druentiam sita, apud Plinium (III 36) audit: „oppidum Latinum Alabece Reiorum Apollinarium“,

[1]) De Augusto p. 13.
[2]) Herzog, Gallia Narbon. p. 86.
[3]) cap. II A n. 78.

apud Caesarem (b. c. I 34,56): „Albici", apud Strabonem (IV p. 203): „Albioeci." Plenum nomen antem: „col. Julia Augusta Apollinaris Reiorum", seu „Reiorum" omisso, occurrit in duobus titulis Reiensibus (C. I. L. XII 358, 367) atque in duobus Nemausinis (l. c. 3291, 4082); praeterea in Arelatensi (l. c. 983), in Nemausino (l. c. 3200), in Massiliensi (l. c. 411) titulis „colonia Apollinaris Reiorum" commemoratur. Alabece (Albici, Albioeci), celticum nomen, post Augusti aetatem paulatim interiit; in tabula Peutingeriana enim et apud Sidonium Apollinarem (ep. 9,9; carm. 16,38) oppidum modo „Reii" audit, unde hodiernum nomen „Riez" evasisse videtur. Alabece a Caesare colonia (Latina) Julia facta est atque ab Augusto fortasse anno 14 civitatem accepit, quo ex tempore sollemniter audiebat: „col. Julia Augusta Apollinaris Reiorum."[1])

Macedonia.

80. Dium = col. Julia Augusta Diensium.

Dium, ad sinum Thermaicum situm, apud Plinium (IV 35) et Ptolemaeum (III 12,15) colonia dicitur atque in titulis (C. I. L. III 548, 7281) et in nummis (Eckhel II p. 71): „colonia Julia Diensium" vel: „colonia Julia Augusta Diensium" vocatur. Octavianus anno 30, vel paulo post, Dium Italorum coloniam deduxisse videtur; apud Dionem a. a. 30 (51,4) enim haec legimus: „*Ἐκείνων* (scil. *πολιτῶν*) *δὲ δὴ τοῖς μὲν πλείοσι τότε Δυρράχιον καὶ τοὺς Φιλίππους ἄλλα τε ἐποικεῖν ἀντέδωκεν.*" Tum igitur colonia „Juliae" cognomen accepit, quod in nonnullis nummis solum occurrit. Postea autem aut nova deductio facta est aut colonia post annum 27 in honorem imperatoris cognomen „Augustae" assumpsit. In universum Octavianus, postquam Augusti cognomen sibi imposuit, nonnullis, imprimis Macedoniae et Epiri coloniis, a se deductis, „Augustae" cognomen imposuisse videtur, ut illae coloniae a patris coloniis Juliis discernerentur.

81. Pella = col. Julia Augusta Pella.

Pella, prius Macedonum regum caput, quae apud Plinium (IV 34) colonia dicitur, apud ceteros auctores semper „Pella" tantum vocatur. In nummis (Eckhel II p. 74) inscriptio: „col. Julia Augusta Pella" reperitur, item atque in graeco titulo (C. I. Gr. 1997). Praeterea duo nummi exstant (Imhoof-Blumer, Monn. Grecqu. p. 86, nr. 98, 99), quorum in altero (98) inscriptio est: „Imp. Divi. F." (id est: imperator Divi Filius) et infra: „Actio",

---

[1]) Herzog, Gallia Narbon. p. 89.

atque in altero (99): „col. Pella“; quorum in utriusque aversa idem Nonius Sulpicius II vir Quinqu. occurrit. Accedit, quod in nonnullis nummis (Eckhel II p. 74), in quibus M. Antonii et Octaviani nomina signata sunt, nulla coloniae mentio facta est. Quibus de causis Pellam item atque Dium anno 30 ab Octaviano coloniam esse deductam apparet, quae „Juliae“ cognomen accepit. Post annum 27 autem Augustus cognomen „Augustae“ adiecit, fortasse nova deductione facta.

82. Cassandrea = col. Julia Augusta Cassandrea.

Cassandrea, quae prius Potidaea audiebat, a Cassandro, Macedoniae rege, illud nomen accepit, quod ex eo tempore solum usurpabatur. Cassandrea „colonia“ dicitur apud Plinium (IV 36) et Paulum (Digest L 15,8) atque in nummis ex Claudio usque ad Philippum (Eckhel II p 70, Imhoof-Blumer p. 67) aut: „col. Julia Augusta Cassandrensis“ aut modo: „col. Cassandria“ audit. Cassandrea item atque Pella et Dium anno 30 post Actiacam pugnam colonia Julia facta est atque post annum 27 ab Augusto cognomen „Augustae“ accepit.

Achaia.

83. Patrae = col. Augusta Aroe Patrae.

Patrae oppidum, in Achaia situm, apud omnes auctores ita audit. Augustum anno 16 a. Chr. n. coloniam eo deduxisse Eusebius in chronico refert; Plinius (IV 11) et Strabo (VIII p. 387) Patras dicunt coloniam. Legionum X. et XII. (Fulminatricis) veteranos emeritos ibi esse collocatos docent nummi (Eckhel II p 257) et tituli (C. I. L. III 504, 505, 507—509). In nummis non numerum legionis „XXII“, ut Eckhel false legit, sed legionum X. et XII. numeros esse signatos tituli docent. Secundum nummos sollemne nomen oppidi ex anno 16 erat: „col. Augusta Aroe Patrae“; „Aroe“ antiquum nomen oppidi erat, ut refert Pausanias (VII 18). Romanorum autem temporibus apud auctores semper solum nomen „Patrae“ occurrit.

Asia.

84. Alexandria Troas = col. Augusta Aurelia Antoniniana Alexandria Troas.

Alexandria Troas, in ora maritima prope Tenedum insulam sita, anno 300 a Lysimacho in honorem Alexandri Magni condita est. Postea, intra annos 27—12 a. Chr. n. Augustus eo coloniam

deduxit; in multis nummis enim (Mionnet II p. 640) oppidum „col. Aug. Troas“ vel „col. Alexandria Troas“ audit; praeterea Plinius (V 124), Paulus (Dig. L 15,8), Strabo (XIII p. 593) oppidum coloniam dicunt. Caracalla coloniae cognomina „Aureliam Antoninianam“ imposuit, quae non nisi in illius imperatoris nummis occurrunt. (Head H. N. p. 470); post illum autem usque ad Gallienum oppidum publice „col. Augusta Alexandria“ vel modo „col. Augusta Troas“ audiebat.

Galatia.

85. Cremna = col. Julia Augusta Felix Cremna.

Cremna, prope Sagalasam et Cestrum flumen sita, apud Strabonem (XII p. 569) et Ptolemaeum (V 5,8) colonia dicitur, cum Plinius oppidum omnino omiserit. In nummis ex Severo usque ad Aurelianum (Mionnet III p 307; Head H. N. p. 590) atque in titulo Cremnensi, sub Hadriano conscripto (C. III. L. I 6874), sollemne nomen „col. Julia Augusta Felix Cremna“ occurrit; in alio titulo autem, Nervae aetate conscripto (C. I. L. III 6873), atque in nummo Elagabali (Mionnet III p. 307) „Felix“ cognomen deest. Cum Plinius in Agrippae laterculis Galatiae, quos intra annos 27—12 esse conscriptos O. Cuntz[1]) ostendit, Cremnam et ceteras Galatiae Pisidiaeque colonias Augusti non coloniarum loco citatas invenerit, Strabo autem Cremnam iam coloniam dicat, coloniam eo intra annos 12 a Chr. n. — 14 p. Chr. n. deductam esse probabile est. Augustus Cremnae item ac plurimis Galatiae coloniis praeter „Augustae“ etiam „Juliae“ cognomen imposuit; haud scio an illa oppida iam Caesaris aetate, vel certe ante annum 27 ad deducendas colonias destinata fuerint atque illa de causa „Juliae“ cognomen acceperint. Cognomen „Felix“ num ab Augusto datum sit coloniae, ignoro. Volgare nomen oppidi erat modo „Cremna“.

86. Olbasa = col. Julia Augusta Olbasa.

Olbasa, quae a Cremna in occasum, ab Apamea in meridiem vergebat, apud Ptolemaeum false coloniarum in numero non citatur, cum in titulis Olbasenis (C. I. L. III 6888, 6889, 6891, 6892) aut „colonia Olbasena“ aut: „colonia Julia Olbasena“, atque in nummis ex Antonino usque ad Volusianum (Eckhel III p. 20, Head H. N. p. 591): „col Julia Augusta Olbasena“ seu „Olbabena“ audiat. Olbasam item atque Cremnam intra annos 12 a. Chr. n. — 14 p. Chr. n. ab Augusto colonia deducta est, cui ille cognomina „Juliae“ et „Augustae“ imposuit.

[1]) Jahrb. f. Philol. Suppl. XVII p. 522.

87 Comama = col. Julia Augusta Prima Fida Comama.

Comama, quae a Cremna in meridiem et in occasum spectabat[1]), apud Ptolemaeum (V 5,8) audit: „Κόμμακον“ (varia lectio Κόμανα) atque apud Hieroclem (p. 680): „Κόμανα.“ Comama autem recta forma est, ut duo tituli docent, quorum in altero, graeco, oppidum audit: „ἡ πρώτη καὶ πιστὴ Κομαμένων κολωνία“, et in altero, latino (C. I. L. III 6886, 6887): col. Julia Augusta Fida Comama.“ In nummis deinde oppidum aut: „col. Augusta Comamenorum“ (Mionnet II p. 350, 109) aut: „col. Julia Augusta Prima Fida“ aut: „col. Julia Fida Comamenorum“ vocatur (Mionnet VII p 711, 305, et alibi). Plenum nomen coloniae igitur erat: „col. Julia Augusta Prima Fida Comamenorum.“ „Prima“ cognomen Comamam primam Galatiae coloniarum Augusti fuisse indicat; colonia intra annos 12 a Chr. n. — 14 p. Chr. n., ut ceterae Galatiae coloniae, ab Augusto deducta est.

88. Germa = col. Julia Augusta Felix Germa.

Germa, quae a Pessinunte in orientem et in septentrionem vergebat, apud Ptolemaeum (V 4,7) et in notitia episcopatuum (I 278; III 230; alibi) colonia dicitur, in itinerario Antonini (p. 201, 202) autem modo „Germa“ vocatur. Plenum nomen: „col. Julia Augusta Felix Germa“ in titulis (C. I L. III 284, 285) supplendum est, cum in nummis ex Domitiano usque ad Etruscillam oppidum audiat: „col. Augusta Felix Germena“ (Eckhel III p. 178; Head H. N. p. 630). Germa quoque post annum 12 a. Chr. n. ab Augusto colonia facta est, non ab Hadriano Commodove, ut A. Zumpt[2]) censet, quod quidem ex cognominibus „Julia Augusta“ apparet.

89. Lystra = col. Julia Felix Gemina Lystra.

Lystra, quae ab Iconio in meridiem vergebat, apud Ptolemaeum (V 4,12), Plinium (V 147), Hieroclem (p. 675) ita audit, nulla coloniae mentione facta. Plenum nomen „col. Julia Felix Gemina Lystra“ reperitur in titulo Lystrensi (C. I. L. III 6786) Augusti aetatis atque in nummis Traiani et M. Aurelii (Imhoof-Blumer, Monn. Grecqu. p. 374). In Augusti nummis (Waddington, rev. numism. 1883 p. 57) legimus: „COL. IVL. FEIC . . .“; „FEIC“ sine dubio false signatum est pro „FELC.“ Lystram quoque post annum 12 a. Chr. n. coloniam esse deductam ex eo apparet, quod Plinius oppidum coloniam non dicit. „Felix“ cognomen Lystram

---

[1]) Ramsay, Asia Minor p. 57.
[2]) Comment. epigr. p. 419.

eodem tempore atque Germam et Cremnam, quae item „Felix“ cognominatae sunt, coloniam esse factam indicat. „Gemina“ cognomen fortasse ad duarum legionum veteranos, ibi collocatos, pertinet. Cur Lystra tantum „Julia“ ac non „Augusta“ cognominata est, non liquet. Sine dubio ex titulo supra citato Augustum esse coloniae deductorem apparere videtur. Lystra, omissa colonia Heliopolitana, unica colonia, post annum 27 deducta, est, quae tantum „Julia“, non „Augusta“ appellata est[1]).

90. Parlais = Julia Augusta colonia Parlais.

Parlais, quae a Lystra in orientem vergebat, apud Ptolemaeum (V 6,16), sed non coloniae loco, commemoratur. Oppidum aut: „Parlais colonia“ in nummo M. Aurelii, aut: „Julia Augusta colonia Parlais“ in L. Veri, Severi, Juliae Domnae nummis vocatur (Eckhel III p. 34; Mionnet III p. 537). Colonia intra annos 12 a. Chr. n. — 14 p. Chr. n. deducta est, item atque ceterae Galatiae coloniae. Parlais, cum apud auctores Ptolemaeo excepto nusquam occurrat, perexigua fuisse videtur.

Cilicia.

91. Ninica = col. Julia Augusta Felix Ninica Claudiopolis.

Exstant nummi ex Traiano usque ad Maximum, in quibus inscriptio est: „col. Aug. Feli(x). Nini. Claud.“ seu „col. Jul. Aug. Feli. Nini. Claud.“ (Mionnet VIII p. 429; Zeitschrift f. Numism. VI p. 12, XVII p. 239; Head H. N. p. 690; Kubitschek, Rundschau über ein Quinquennium der antiq. Numism. p. 42—44). Quos nummos ad Ninivam Assyriae coloniam pertinere multi viri docti existimabant. Sed Niniva sub Traiano demum colonia facta est; „Julia Augusta“ autem cognomina non nisi ab Augusto coloniae imposita esse possunt. „Nini . . . .“ igitur non in „Niniva“ sed in „Ninica“ supplendum est, quod nomen in nonnullis nummis, ambigue signatum, false „Niniva“ legebatur. Ninica, Isauriae oppidum, prope Neapolim sita erat[2]) et apud solum Ptolemaeum (V 8,6) commemoratur. Colonia eo intra annos 12 a. Chr. n. — 14 p. Chr. n. ab Augusto deducta esse videtur, ut cognomina „Julia Augusta Felix“, quae omnia Germae et Cremnae coloniis quoque imposita sunt, indicant. Claudius oppido nomen „Claudiopolim“ imposuit, sed coloniam non deduxit, ut Ammianus (XIV 8,2) false refert. Si Claudiopolis, nota illa urbs Isauriae,

[1]) O. Cuntz, Jahrb. f. Philol. Suppl. XVII p. 490.
[2]) Ramsay, Asia Minor p. 8,6.

cum hoc oppido componenda esset, quod nondum exploratum, sed admodum verisimile est, Ninica ex Claudii aetate modo „Claudiopolis“ audisse videretur. In eadem parte Ciliciae duobus oppidis a Claudio nomen „Claudiopolim“ esse impositum certe non arridet.

Syria.

92. Heliopolis = col. Julia Augusta Felix Heliopolis.

Heliopolis, quae a Beryto in orientem vergebat et apud plurimos chorographos ita audit, a Plinio (V 80) colonia non vocatur, in tabula Peutingeriana autem duabus turribus insignitur et in nummis inde ab Augusti temporibus (Mionnet V p. 298; Eckhel III p 334; Head H. N. p. 663): „col. Heliopolis“ nominatur. Plenum nomen: „col. Julia Augusta Felix Heliopolis“ occurrit in titulis Caracallae aetatis (C. I. L. III 202, 6665) et in nummis ex Caracalla usque ad Gallienum (Mionnet V p. 298, VIII 210). Cum Heliopolis apud Plinium colonia non dicatur atque laterculi Syriae, ab Agrippa confecti, intra annos 31—20 a. Chr. n. conscripti sint[1], coloniam post annum 20 esse deductam verisimile est. Cum autem in nummo Philippi iunioris (Mionnet V p. 304) legiones V Maced. et VIII Aug. occurrant, quibus ex legionibus colonia Berytus quoque aucta est, anno 14 Heliopolim veteranos illarum duarum legionum esse deductos E. Kornemann[2]) ostendit. Tum colonia modo „Julia“ vocata est, item atque „Lystra“ colonia, paulo post deducta, solum „Juliae“ cognomen accepit; in nummis enim ex Augusto usque ad Septimium Severum oppidum modo „colonia Heliopolis“, seu: „col. Julia Heliopolis“ audit. Heliopolis fortasse iam a Caesare, cum Berytum coloniam deduceret ad deductionem destinata erat. Septimius Severus autem, qui coloniae ius Italicum donavit (Digest. L. 15,1) vel potius Caracalla filius, ut saepius fecit, coloniae cognomina „Augustae Felicis“ dedit, quae primo in Caracallae nummis occurrunt.

Africa.

93. Simitthus = col. Julia Augusta Numidica.

Simitthus (sive Simittus), in via a Cirta Carthaginem ferente prope Bagradam flumen sita, apud Plinium (V 29): „oppidum civium Romanorum“, in tabula Peutingeriana (Sunitu), in itinerario Antonini (p. 43), in duobus titulis (C. I. L. VIII 14559, 14611) „colonia“ dicitur. Plenum sollemne nomen: „colonia Julia Augusta

---

[1]) O. Cuntz, Jahrb. f. Philol. Supplem. XVII. p. 480.
[2]) Pauly Wissowa IV p. 552.

Numidica Simitthus“ in uno titulo (l. c. 14612) occurrit. Oppidum, cum apud Plinium colonia non dicatur, postremis Augusti annis colonia esse facta videtur; Agrippae et Augusti laterculi Africae enim post annum 25 conscripti sunt[1]. Cum fere omnes Africae et Mauretaniae coloniae praeter „Augustae“ etiam „Juliae“ cognomen acceperint, illae fortasse antea „municipia Julia“ seu Caesaris seu Octaviani fuerant.

Mauretania Caesariensis.

94. Saldae = col. Julia Augusta Saldae.

Saldae oppidum, in maris ora situm, apud Plinium (V 20): „colonia Augusti“, apud Ptolemaeum (IV 2,9), in itinerario Antonini (p. 16), in tabula Peutingeriana item colonia dicitur. Sollemne nomen coloniae autem in tribus titulis occurrit (C. I L. VIII 8929, 8931, 8933), ubi legitur: „col. Jul. Aug. Sald. VII Immunis.“ Augustus igitur fortasse intra annos 27—12 Saldas Septimanorum coloniam deduxit, cui „Juliae Augustae“ cognomina imposuit.

95. Tupusuctu = col. Julia Augusta Tupusuctu.

Tupusuctu, quae a Saldis paulo in meridiem vergebat, apud Plinium (V 21) audit: „col. Augusta, quae Tupusuctu“ atque in titulo optimae aetatis (C. I. L. VIII 8837): „col. Jul. Aug. leg. VII Tupusuctu.“ „Tupusuctu“ forma apud omnes chorographos et in nonnullis titulis (ut: l. c. 8836) occurrit, ita ut utraque forma usitata fuisse videatur. Tupusuctu, item atque Saldae, intra annos 27—12 Septimanorum colonia facta est.

96. Zuccabar = col. (Julia) Augusta Zuccabar.

Zuccabar, quae, ab ostio fluminis Chinalaphi in orientem versus, intra Caesaream, Icosium, Manlianum oppida sita erat, apud Plinium (V 21): „colonia Augusta, quae item Succhabar“, apud Ptolemaeum (IV 2,25) „Zuchabarri“, apud Ammianum (29,5): „oppidum Sugabarritanum“, in aliquo titulo (C. I. L. VIII 10450) „Zuccabar“, vocatur, quae igitur recta forma nominis est. Augustus, qui coloniam intra annos 27—12 deduxit, illi certe „Augustae“ cognomen, quod Plinius exhibet, imposuit. Haud scio an oppidum, ut ceterae Mauretaniae coloniae Augusti, „Juliae“ quoque cognomen ab Augusto acceperit, etsi illud in titulis non reperitur.

---

[1]) O. Cuntz, De Augusto p. 45.

Mauretania Tingitana.

97. Zilis = col. Augusta Julia Constantia Zilis.

Zilis, quae, a Tingi in meridiem versus, in oceani ora sita erat, in itinerario Antonini (p. 8): „Zilia", apud Ptolemaeum (IV 1,13): „Zilia", apud Strabonem (p. 827): „Zelis" vocatur; apud Plinium (V 2) haec leguntur: „col. Augusti Julia Constantia Zulil, regum dicioni exempta et iura in Baeticam petere iussa." Oppidi nomen Julia Constantia" nonnulla similia Hispanorum oppidorum cognomina in memoriam revocat, ut „Juliam Constantiam", „Juliam Concordiam", alia. Qua de causa Zilis et Babba item atque Osset, Lacimurgi, Nertobriga, fortasse annis 46/45 ab Julio Caesare civitatem seu Latium cum novis cognominibus accepisse videntur; quae oppida haud scio an in bello Africano Caesarem adiuverint. Plinius (l. c.) Zilim atque Babbam, quibus cognomina „Constantia Julia" et „Campestris Julia" erant, modo Augusti colonias, non colonias „Augustas" vocat, tamen Augustus sine dubio cum intra annos 27—12 colonias eo deduceret, utrique coloniae, ut Barcinoni, „Augustae" cognomen imposuit. Tituli coloniae non exstant; „Julia Constantia" cognomen usitatum fuisse non videtur.

98. Babba = col. Augusta Campestris Julia Babba.

Babba, quae a Zili in meridiem vergebat, paulo ab oceano aberat: Oppidum apud Ptolemaeum IV 1,13): „Βάβα", apud Stephanum Byzantium: „Βάβαι" audit; Plinius (V 5) haec refert: „altera Augusti colonia est Babba, Julia Campestris appellata." Babbam quoque intra annos 46—45 ab Julio Caesare civitatem una cum cognomine „Juliae Campestris" accepisse probabile est. Augustus postea coloniam eo deduxit, quae in nummis ex Claudii aetate usque ad Galbam (Mionnet VI p. 594) „col. Julia Campestris Babba" vocatur. Sine dubio coloniae „Augusta" quoque cognomen impositum est, quod quidem in nummis non reperitur. Quam ad rem adnotandum est, quod colonia Julia Heliopolis et colonia Augusta Alexandria Troas item in nummis saepe modo: „col. Heliopolis" vel „col. Alexandria Troas" audiunt.

B. Cetera oppida, quae ex Augusto (Druso, Agrippa, Julia, Livia) nomen seu cognomen acceperunt. 27 a. Chr. n. — 14 p. Chr. n.

Italia.

Liguria.

37. Augusta Bagiennorum = Bene.

Augusta Bagiennorum, quae hodie „Bene“ audit[1]), apud Plinium (III 49): „Augusta Vagienorum“, apud Ptolemaeum (III 1,35): „Ἀυγοῦστα Βαγιεννῶν“, in compluribus titulis (C. I. L. III 2781; V 7153, 7670; VI 3896): „Augusta Bagiennorum“ vocatur; in titulo urbano (C. I. L VI 2890) autem modo: „Bagienni“ atque in alio titulo urbano (l. c 2757) et in Bonnensi (Brambach, C. I. Rh. 492) modo: „Augusta“ reperitur. Oppidum non colonia erat, ut Borghesius (opera V p. 271) censet, sed municipium (C. I. L. V 7153. Augustus oppidum, ut Bagiennorum caput esset, intra annos 25—6 a. Chr. n., quibus Alpium gentes subiecti sunt, condidit. Nomen „Augusta Bagiennorum“ primo et altero saeculis usitatum erat; postea autem oppidum modo „Bagienni“ („Bagitenni“ in tabula Peuting.) audiebat.

Latium.

38. Augustanus vicus = Laurentium.

Augustanus vicus, qui intra Lavinium et Laurentum prope hodiernum „castel Porciano“ situs erat[2]), in multis titulis (C. I. L. VIII 1439; XIV 301, 341, 347, 252, 431, 2040, 2044, 2045, 2047, 2050) occurrit. Plinius minor (ep. 17,26) vicum illum prope Laurentum situm fuisse refert; qui vicus in itinerario Antonini (p. 301) et in tabula Peutingeriana „Laurentium“ (Laurentum) audit. Caesar Augustus, quem in agro Laurento praedium habuisse Dessau (l. c.) ostendit, vico cognomen „Augustam“ dedit, quod certe tantum publice usurpabatur.

Lucania.

39. Caesariana.

Caesariana castellum, quod a Buxento in orientem vergebat, tantum in itinerario Antonini (p. 110), occurrit atque intra

[1]) Th. Mommsen, C. I. L. V p. 873.
[2]) Dessau, C. I. L. XIV p. 183.

„Marcellianam" et „Nerulum" oppida commemoratur. „Caesariana' nomen ad Augustum pertinere videtur, item atque „Caesariana" Pannoniae castellum, quod Augusto imperante in Pannonia subiecta conditum est. Utrumque oppidum, cum tantum in itinerario Antonini commemoretur, statio seu castellum fuisse videtur.

Hispania Lusitania.

40. Augustobriga.

Augustobriga, Vettonum oppidum, a Caesarobriga in occasum versus, ad Tagum, ubi hodie est „Talavera la Viera", situm erat. Oppidum ita audit apud Plinium (IV 118), Ptolemaeum (II 5,9), in itinerario Antonini (p. 438), in duobus titulis (C. I. L. II 941, 5346), cum Ravennas formam „Augustobriam" exhibeat. Augustus stipendiario oppido fortasse intra annos 26—25, quibus in Hispania moratus provincias denuo instituit, nomen „Augustobrigae" (id est: „Augusti arcis") imposuit, quod apud veteres semper volgare erat.

Tarraconensis.

41. Augustobriga.

Augustobriga, in Pelendorum territorio intra Turasionem et Numantiam oppida sita, diversa est ab Augustobriga Lusitaniae. Oppidum, quod commemoratur apud Ptolemaeum (II 6,54), in itinerario Antonini (p. 442), apud Ravennatem (IV 43), in miliariis Traiani (C I. L. II 4891, 4893, 4896, 4897—4901), Hadriani (l. c. 4892), Flavii Constantii (6237, a. a. 305/306), intra annos 26—25 ab Augusto conditum esse videtur, atque apud Romanos ex illo tempore semper audiebat: „Augustobriga."

42. Juliobriga.

Juliobriga, stipendiarium oppidum, Cantabrorum in territorio situm, quod a Plinio (III 27; IV 111), Ptolemaeo (II 6,51), in externis titulis (C. I. L. II 2480, 2916, 4192, 4240) commemoratur, fere anno 19 a. Chr. n. Cantabris prorsus devictis atque subiectis fortasse ab Agrippa conditum et Augusti in honorem „Juliobriga" nominatum est. Oppidum propterea non „Augustobriga", sed „Juliobriga" nominatum est, quod paulo ante in eadem provincia oppido alicui, quod ab Juliobriga non multo distabat, „Augustobriga" nomen erat impositum. Plurimis reliquis Hispaniae oppidis, quae post annum 27 nova nomina acceperunt, „Augusta" cognomen seu nomen, cum „Augusti" voce compositum, datum est. „Juliobriga" nomen apud Romanos semper usitatum fuisse videtur, cum etiam in notitia dignitatum (oc. 42,30) occurrat.

43. Lucus Augusti = Lugo.

Lucus Augusti, Gallaecorum oppidum, ad Minium flumen situm, apud Ptolemaeum (II 6,24), in itinerario Antonini (p. 424), apud Ravennatem (IV 45), in duobus titulis (C. I. L. II 2586, 2638) ita audit, cum apud Plinium (III 28, IV 111) atque in notitia dignitatum (oc. 42,29) modo „Lucus" nominetur. „Lucum Augusti" fere anno 19 Cantabricis Asturicisque bellis confectis conventus capitis loco conditam esse puto. Oppidum usque ad quartum saeculum audiebat „Lucus Augusti"; ex illa aetate autem „Augusti" cognomen paulatim interiit ita, ut oppidum modo „Lucus" nominaretur, unde hodiernum nomen „Lugo" ortum est. Geographus Ravennas, qui ex vetustioribus fontibus videtur hausisse, etiam plenum nomen exhibet, quod illius aetate non iam usurpabatur.

44. Asturica Augusta = Astorga.

Asturica Augusta, conventus Asturici caput, satis magna atque insignis erat, ut multi tituli, ibi reperti, docent; praeterea multae viae eo ferebant. Apud Plinium (III 28), qui „Asturicam" urbem magnificam dicit, in itinerario Antonini (p. 421, 422, alibi); apud Ravennatem (IV 45), in multis miliariis (C. I. L. II 2633, 2648, 4747, 6223, 6224, 6291), oppidum modo „Asturica" vocatur; apud Ptolemaeum autem (II 6,36) et in titulo (l. c. 2636) plenum nomen „Asturica Augusta" exstat. Oppidum Asturicis Cantabriscisque bellis confectis fere anno 19 a. Chr. n. ab Agrippa aliove Augusti legato Asturorum territorii muniendi et tutandi causa conditum esse censeo. Etiam nunc magna moenia cum turribus et portis servata sunt, ex quibus oppidi magnitudo et munimenta perspici possunt. „Augusta" cognomen sine dubio primo et altero saeculis usitatum erat, tertio autem paulatim interiit; vel in Vespasiani et Antoninorum miliariis solum nomen „Asturica" occurrit, unde hodiernum nomen „Astorga" evasit.

45. Bracara Augusta = Braga.

Bracara Augusta, in territorio Bracariorum Gallaecorum sita, apud Plinium (IV 112): „Bracarum oppidum Augusta", in itinerario Antonini (p. 420, 422, 423, 427, 429): „Bracara Augusta", apud Ptolemaeum (II 6,39): „Βρακαραυγοῦστα", in notitia dignitatum (or. 40,49) fortasse: „Bracaraugusta", apud Ravennatem (IV 43,45): „Augusta Bracaria" vocatur; praeterea oppidum in multis titulis (C. I. L. II p. 632—647): „Bracara Augusta", aut modo „Bracara", aut „Bracaraugusta" appellatur. „Bracara" forma demum apud Ausonium (de urb 9,5) atque apud Julium Honorium (35,1) atque alibi reperitur. Miliaria, supra allata, ad permultos

imperatores ex Augusto usque ad Constantem pertinent. Conventus „Bracaraugustanus“ in multis titulis (C. I. L. II 2416, 4123, 4236, 4257, 4204) commemoratur, qui uno loco (l. c. 2426) modo „Augustanus“ conventus dicitur. „Bracara Augusta“ intra annos 27—19, vel paulo post, ut Bracarensis conventus esset caput, condita et multis viis stratis cum ceteris magnis Lusitaniae et Tarraconensis oppidis coniuncta est. Nomen „Bracara Augusta“ quarto saeculo sine dubio etiam volgare erat, in miliariis quidem fere usque ad annum 350 occurrit. Qua ex aetate „Augusta“ cognomen paulatim interiit, quod apud Ausonium et Julium Honorium, qui paulo post annum 350 floruerunt, non iam reperitur. Quod Ravennas etiam cognomine „Augusta“ utitur, ille saepe nomina, sua aetate non iam usitata, ex fontibus suis sumpsit, ut iam vidimus. In nummis enim Visigothicis (Heiss. Monn. Visigoth. p. 46), qui in Ravennatis cosmographi aetatem cadunt, solum nomen „Bracara“ occurrit, unde hodie „Braga“ ortum est.

46. Porta Augusta.

Porta Augusta, quae tantum apud Ptolemaeum (II 6,60) commemoratur atque Vaccaeis adscribitur, secundum illius testimonium inter Lacobrigam, Pallantiam, Intercatiam oppida sita erat. Fortasse de statione viae Augustae (C. I. L. II 4701, 4703, 4716, 4721) cogitandum est, quae via intra annos 26 – 25 ab Augusto condita esse videtur.

47. Nova Augusta.

„Nova Augusta“, a Plinio (III 27) una cum Segovia, Segontia, Uxama Arevacis attribuitur atque a Ptolemaeo (II 6,56) intra Numantiam et Segoviam ponitur; oppidum igitur, a Durio flumine paulo in meridiem versus, intra Uxamam, Segoviam, Segontiam oppida situm fuisse videtur. C. Mueller[1]) „Novam Augustam“ cum Augustobriga componit, cogitans de „Nova Augustobriga“; sed errat, quia apud Ptolemaeum (II 6,54) et in itinerario Antonini (p. 442) plane Augostobrigam Pelendonum in territorio intra Numantiam et Turasionem oppida fuisse sitam refertur. Nova Augusta ab Augusto intra annos 26 – 25 condita esse videtur, atque altero saeculo certe etiam ita audiebat; posterioribus temporibus oppidi mentio non fit

48. Turris Augusti.

„Turris Augusti“ seu castellum seu oppidum, quod in septemtrionali parte occidentalis orae situm erat, apud solum Melam

[1]) in editione Ptolemaei p. 174.

(III 1,8) commemoratur. Nomen certe ad Augustum pertinet; plura dici non possunt.

49. Segisama Julia.

Segisama, quae, ab Juliobriga paulo in meridiem versus, in territorio Turmogidorum sita erat, apud Plinium (III 36): „Segisamaiulienses“, apud Ptolemaeum (II 6,50), Segisama Julia“, apud ceteros chorographos et in titulis (C. I L. II 900, 3281) modo „Segesama“ seu „Segisama“ audit. „Julia“ cognomen, quod oppidum intra annos 27—19, quibus illae regiones subiectae sunt, in Augusti honorem accepisse videtur, primo atque altero saeculis volgare erat, postea autem intercidit.

Gallia Narbonensis.

50. Lucus Augusti = Luc.

Lucus Augusti, alterum Vocontiorum caput, intra Druentiam et Rhodanum in via, a Mediolano per Alpes Viennam ferente, sita erat. Oppidum apud Plinium (III 37) audit: „Lucus Augusti“, apud Tacitum (hist. I 66), qui oppidum municipium dicit, in tabula Peutingeriana in itinerario Antonini (p. 357, 554), apud Ravennatem (IV 27) modo: „Lucus“ vel „Luco“; in externis titulis (C I. L. III 1653; Brambach, inscr. Rh. 940, 1055, 1223, 1247; Mommsen, inscript. Helv. 251; Ephemeris epigr. 496) deinde nomen „Lucus“ aut „Lucus Augusti“ reperitur. Oppidum ab Augusto anno 27, seu intra annos 16—13, quibus Galliam instituit, conditum est et allatum nomen accepit, quod Augusti aetate certe usu tritum erat. Sed iam Tacitus „Augusti“ cognomen non exhibet; indeque oppidum modo „Lucus“ vel postea „Luco“ audiebat, unde hodiernum nomen „Luc“ (en Diois) ortum est. Lucus municipium, iam tertio saeculo in mansionem delapsum (itin. p. 554), quarto saeculo nullius erat momenti, ut ex silentio notitiae Galliarum apparet.

51. Augusta Tricastinorum = Aouste.

Augusta Tricastinorum, inter Valentiam et „Deam Vocontiorum“ oppida sita, apud Plinium (III 36), qui oppidum „Latinum“ vocat, ita audit, cum in itinerario Antonini (p. 358) et in itinerario Hierosolymitano (p. 554): „Augusta“, in tabula Peutingeriana: „Augustum“, apud Ravennatem (IV 27): „Auguston“ appelletur. „Civitas Tricastinorum“, quae in notitia Galliarum (XI 9) occurrit, et „Noeomagus“, quam Ptolemaeus (II 10,13) ut solum Tricastinorum oppidum affert, ab „Augusta Tricastinorum“ diversae fuisse

non videntur[1]). „Augusta“ enim a Vocontiorum oppido „Vasione“ tantum, quantum Noeomagus secundum Ptolemaei testimonium ab eodem oppido distabat. Oppido Tricastinorum, quod prius fortasse „Noeomagus“ audiebat, ab Augusto anno 27, seu intra annos 16—13, „Augusta“ nomen impositum est. Oppidum inde semper „Augusta“ sive „Augustum“ apud Romanos vocabatur, unde hodiernum nomen „Aouste“ (en Diois) exortum est. „Tricastinorum“ cognomen non usitatum fuisse videtur.

52. Augustum = Aoste.

Augustum, quod, a Vienna in orientem versus, inter Bergusium et Labisonem oppida situm erat, ita audit in itinerario Antonini (p. 346), in tabula Peutingeriana, apud Ravennatem (IV 26); praeterea in titulis (C. I. L. XII 2393, 2395, 2424) „vicani „Augustani“ occurrunt. Oppidum ab Augusto eodem tempore atque „Augustam Tricastinorum“ esse conditum puto; „Augustum“ nomen apud Romanos semper volgare erat, unde hodiernum nomen „Aoste“ ortum est.

Aquitania.

53. Augustoritum = Limoges.

Augustoritum, quod, ad Vigennam flumen situm, Lemovicum caput erat, apud Ptolemaeum (II 7,6) et in itinerario Antonini (p. 462) audit: „Augustoritum“, in tabula Peutingeriana: „Aus. Rito“ (false pro Aug. Rito), in titulo quodam (Espérandieu, Epigr. du Poitou et de la Saintonge, p. 157 n. 69): „Aug(ustoritum) civi(tas)“, in nummo regis Dagoberti I (Melange de numism. III p. 191): „Lemnovix Augustoredo“, in lexico Tironiano: „Augustoretum“, in notitia Galliarum (XII 7): ‚civitas Lemovicum.“ Annis 27 atque 16—13 Augustus Gallias denuo instituit atque multis gentibus nova capita condidit, vel capitibus nova nomina, partim ex ipsius nomine petita, imposuit. Quibus annis igitur Augustoritum, ut Lemovicum esset caput, conditum esse censeo. Oppidum ex illo tempore usque ad quartum saeculum ita audiebat; inde autem Augustoritum nomen paulatim intercidit atque oppidum vocabatur: „civitas Lemovicum“ vel postea modo: „Lemovices“, unde hodiernum nomen „Limoges“ evasit; in nummo Dagoberti, supra citato, sollemniter etiam vetus nomen praeter volgare occurrit. Vocula Celtica „ritum“ significat „vadum“, ita ut oppidum ad vadum Vigennae ab Augusto conditum esse videatur.

---

[1]) Otto Hirschfeld, C. I. L. XII p. 205.

54. Augustonemetum.

Augustonemetum, Arvernorum caput, ab Augustorito in orientem vergebat. Oppidum ita audit apud Ptolemaeum (II 8,17), in tabula Peutingeriana (Aug. Nemeto), in lexico Tironiano (Avernus . . . Augustonemetum), in duobus titulis (C. I. L. VIII 10 629, XIII 5209), cum apud Strabonem (IV 191) nomen „Νεμωσσὸσ“ reperiatur. Apud Ammianum (XV 11,14), in notitia Galliarum (XII 3), apud Sidonium Apollinarem (Ep. III 12), apud Gregorium Turonensem (saepe) oppidum aut „civitas Arvernorum“ aut modo „Arverni“, seu „Arverna“ nominatur. Arvernorum capiti igitur, cui vetus nomen erat „Nemossos“, ab Augusto, fortasse intra annos 16—13, „Augustonemetum“ nomen impositum est, quod usque ad quartum saeculum volgare erat; postea autem oppidum „Arverni“ vel „Arverna“ audiebat, unde hodiernae provinciae nomen „Auvergne“ ortum est. Nemossos idem Celticum vocabulum est atque „nemetum“, quod significat „lucum“.

55. Augusta? = Climberris = Auscia.

Apud Ptolemaeum (II 7,18) Auscorum oppidum vocatur: „Augusta“, quod alibi (Mela III 2; itin. Antonin. p. 462; tabula Peuting.) audit: „Climberrum“ seu „Climberris“; in itinerario Hierosolymitano (p. 550) autem reperitur: „civitas Auscius“, apud Ammianum (XV 11,14): „Ausci“, in notitia Galliarum (XIV 2): „civitas Ausciorum“, apud Ravennatem (IV 41): „Autis.“ Cum in tabula Peutingeriana fere omnia ea nomina, quae cum voce „Augusto“ composita sunt, commemorentur, sine dubio Auscorum caput ab Augusto nomen „Augustae“ non accepit; apud Melam quoque, qui primo saeculo floruit, non „Augusta“ sed „Climberrum“ nomen reperitur. Oppidum usque ad quartum saeculum „Climberris“ vel „Climberrum“ vocabatur indeque nomen „Auscius“ vel „Auscia“ usurpabatur. Ptolemaeus igitur aut false „Augustam“ nomen tradidit, aut, quod verisimilius est, illud nomen in codicibus interpolatum est. Haud scio an Ptolemaeus „Ausca“ seu „Auscia“ scripserit, unde librarius quidam facile „Augusta“ efficere potuit, praesertim cum subsequens nomen etiam e voce „Augusto“ capiat initium et in universum persaepe in Galliae oppidorum nominibus: „Augusta“ vox occurrat.

Lugdunensis.

56. Augustodunum = Autun.

Augustodunum, Haeduorum caput, ex Augusto usque ad Carolinam aetatem persaepe occurrit, ut apud Melam (III 2,39), Tacitum

(ann. III 43, 45, 46), Ptolemaeum (II 8,17; VIII 5,5), Ammianum (XV 11,11), Zosimum (II 42,4), Gregorium Turonensem (hist. Franc. III 11, a. 534), Ravennatem (IV 27: „Augunon"), deinde in itinerario Antonini (p. 360, 458, 460, 366), in tabula Peutingeriana, in notitia dignitatum (oc. IX 33, 34, XI 59), in notitia Galliarum (I 3), in Fredegari chronico (IV 58, 90. a. a. 642), in annalibus Flaviniacensibus (a. a. 725), alibi. Augustodunum praeterea commemoratur in titulis (C. I. L. XII 3232; Bulletin archéologique du comité des traeveaux historiques 1890, p. 459; Revue archéologique 1863, p. 275) atque in Merovingorum nummis (Revue de numismatique 1884, p. 73; 1889, p. 39—40; 1836, p. 327), ubi oppidum „Augustoduno" vel „Augustiduno", vel Augusoteduno" audit. Apud Caesarem (b. G. I 23, VII 55) et Strabonem (p. 192) vetustissimum atque maximum Haeduorum oppidum vocatur: „Bibracte"; cui oppido, quippe quod post Strabonem nusquam occurrat, sine dubio ab Augusto seu anno 27, seu intra annos 16—13 nomen Augustodunum impositum est, quod Strabonis verbis bene aptum est, qui Bibracte „φρούριον" dicit; Augustodunum enim est latine: „Augusti arx" sive — „castellum"[1]). Strabo, qui Augustonemetum, ut vidimus, „Nemossos" vocat, Augustoduni quoque vetus nomen exhibet, quippe qui saepe, veteribus fontibus usus, nomina, quae Augusti aetate volgaria erant, nondum commemoret. „Augustodunum" nomen apud veteres semper volgare erat, unde hodiernum nomen „Autun" ortum est. Oppidum magnum atque celebre erat; saepissime enim commemoratur atque multis viis stratis cum ceteris Galliae oppidis coniunctum erat. Praeterea ibi erant loricaria, balistaria, clibanaria, gynaeceum, ut ex notitia dignitatum (l. c.) comperimus.

57. Augustobona = Troyes.

Augustobona, quae ab Augustoduno in septemtrionem vergebat, caput Tricassium erat. Oppidum ita audit apud Ptolemaeum (II 8,13), in tabula Peutingeriana in itinerario Antonini (p 381, 383), cum in notitia Galliarum (IV 6) „civitas Tricassium", apud Ammianum (XVI 2,7): Tricassae", apud Sidonium Apollinarem (VI 1) et in itinerario Antonini alio loco (p. 361): „Tricassis" vocetur. Oppidum sine dubio, ut Tricassium caput esset, conditum est et in Augusti honorem nomen „Augustobonam" accepit (id est latine: „Augusti urbs" vel — „vicus") quod usque ad quartum saeculum volgare erat. Postea autem nomen ab Augusto impositum intercidit indeque oppidum a Diocletiani Constantinive

---

[1]) Holder, Alt-Celtischer Sprachschatz p. 286.

aetate, ut multae aliae Galliae civitates, ex gente, cuius, caput erat, appellabatur, scil.: „Tricassae“ seu „Tricassis“, unde hodiernum nomen „Troyes“ ortum est.

58. Augustodurum = Bayeux.

Augustodurum, in Aremorica prope oram maritimam situm, caput Baiocassium erat. Oppidum tantum in tabula Peutingeriana atque in nonnullis miliariis[1]) ita audit. Civitas Baiocassium, quae in notitia Galliarum (II 3) occurrit, cum Augustoduro componenda esse videtur, quippe quod oppidum maxima Baiocassium civitas fuerit. Augustodurum ab Augusto, ut caput esset Baiocassium, conditum est, sed non ita floruisse videtur, cum apud auctores hoc nomine nusquam commemoretur; oppidum ex quarto saeculo audiebat: „civitas Baiocassium“, seu: „Baiocassi“, unde hodiernum nomen „Bayeux“ esse repetendum plurimi viri docti censent. Celtica vox „durum“ idem significat, atque „dunum“, scil.: „arcem“ seu „castellum“[2]).

Belgica.

59. Augustomagus = Senlis.

Augustomagus, Silvanectum caput, prope Isaram sita erat. Oppidum audit in tabula Peutingeriana et in itinerario Antonini (p. 380): „Augustomagus“, in notitia dignitatum (oc. XL II 42) autem: „Silvanectae“ atque in notitia Galliarum (VI 9): „civitas Silvanectum“. Augustomagus ab Augusto anno 27, seu intra annos 16—13, ut Silvanectum esset caput, condita est atque usque ad quartum saeculum ita audiebat; postea nomen „Silvanectae“ in usum venit. Augustomagus est latine: „Augusti campus“. Hodie oppidum vocatur: Senlis[3]).

60. Augusta Viromanduorum (Vermandois).

Augusta Viromanduorum, quae ab Augustomago in septemtrionem vergebat, ita audit apud Ptolemaeum (II 9,11), in itinerario Antonini (p. 379), in tabula Peutingeriana (false: Aug. Viro Muduorum), cum in notitia Galliarum (VI 5) modo „civitas Veromanduorum“ vocetur. Oppidum ab Augusto, ut caput esset Viromanduorum, conditum est. „Augusta“ cognomen ex quarto saeculo paulatim intercidit indeque oppidum audiebat „Veromandui“ quod nomen posteriore aetate ad comitatum, in quo oppidum situm erat, transiit, qui hodie „Vermandois“ audit.

---

[1]) Desjardin: géogr. de la Gaule I p. 338; Table de Peuting. p. 24.
[2]) Glück, Celtische Namen p. 133
[3]) Desjardin, géogr. de la Gaule II p. 452.

61. Augusta Suessionum = Soissons.

Augusta Suessionum, ad Axonam flumen sita, apud Ptolemaeum (II 9,11) et in itinerario Antonini (p. 379) audit: „Augusta Suessonum" (Οὐεσσόνων), in tabula Peutingeriana: „Aug. Suessorum", in miliario quodam (Henzen n. 5236): „Aug. Suessionum". Recta forma nominis videtur esse: „Suessiònes", cum in Caesaris (b. G. II 3), Livii (Epit. 104), Lucani (I 423), Plinii (n. h. IV 106), codicibus modo „Suessiones", modo „Suessones" reperiatur. In notitia Galliarum (IV 3) oppidum vocatur: „civitas Suessionum" atque apud Gregorium Turonensem (saepe) „Suessonae urbs". Ab Augusto capiti Suessionum, quod prius „Noviodunum" (Caes. b. G. II 12) audiebat, certe eodem tempore atque Viromanduorum capiti, „Augusta" nomen impositum est, quod Diocletiani Constantinive aetate intercidit, ita ut oppidum ex illo tempore audiret: „Suessionum civitas" vel „Suessionae" vel „Suessiones" unde hodiernum nomen „Soissons" esse exortum apparet.

62. Augusta Treverorum = Trier.

Augusta Treverorum, quae ad Mosellam sita erat, apud Melam (III 2) dicitur: „urbs opulentissima in Treveris Augusta", apud Tacitum (hist. IV 62, 72): „colonia Treverorum", apud Ptolemaeum (II 9, 12): „Αὐγοῦστα Τριβήρων", in titulis (C. I. L. III 4153; Brambach: C. I. Rh. 770, 1936 a. 121, 1937 a. 139): „colonia Augusta Treverorum". Posteriore aetate autem oppidum audit: „civitas Treverorum" (not. Gall. V 2; C. I. L. III 5215), vel modo: „Treveri" (Ammianus XV 11, 9; XVI 3, 3; itin. Antonin. p. 240, 366, 371); apud Sozomenum demum (hist. eccles. II 27) forma „Triveris" et apud Ravennatem (IV 26) „Treoris" reperitur. Augusta Treverorum eodem fere tempore, atque Augusta Rauricorum et Augusta Suessionum, fortasse intra annos 16—13, ab Augusto, ut Treverorum esset caput, condita est, sed coloniam ille eo non deduxit, ut ex nomine ipso atque ex Melae verbis apparet; accedit, quod Plinius coloniae mentionem non facit. Colonia potius a Claudio eo deducta esse videtur (C. I. L. III 4153). Tertio saeculo paulatim „Augusta" nomen intercidit indeque oppidum audiebat: „civitas Treverorum" seu modo „Treveri" vel „Treoris", unde hodierna forma „Trier" exorta est.

Germania Superior.

63. Augusta Rauricorum = Augst.

Augusta Rauricorum, ad Rhenum sita, apud Plinium (IV 106): „col. Raurica", apud Ptolemaeum (II 9,18): „Αὐγοῦστα Ῥαυρικῶν",

in itinerario Antonini (p. 253): „Augusta Rauracum“, in tabula Peutingeriana: „Aug. Ruracum“, apud Ammianum (XIV 10,6; XV 11,11): „Rauracum“ sive „Rauraci“, in notitia Galliarum (IX 9): „castrum Rauracense“, apud Ravennatem (IV 26): „Augusta“ audit; Munatius Plancus anno 43 coloniam Rauricam deduxit (C. I. L. X 6087; Plinius l. c.). Ab Augusto autem, fortasse intra annos 16—13, quibus Galliam denuo instituit, oppidum: „Augusta Rauricorum“ appellatum est, sed non propter novam deductionem; „Augusta“ nomen enim apud auctores usitatum atque volgare erat. Haud scio an praeter Planci coloniam oppidum Augusta Rauricorum, ut caput illius gentis esset, conditum sit; usque at Diocletiani fere tempora: „Augusta Rauricorum“, sed non: „colonia Augusta Rauricorum“ occurrit. Ex quarto saeculo „Augusta“ nomen per aliquantum temporis intercidit; septimo autem saeculo oppidum modo „Augusta“ audit, unde hodierni vici „Augst“ nomen exortum est.

Raetia.

64. Augusta Vindelicum = Augsburg.

Augusta Vindelicum, ad Licum sita, caput Vindeliciae erat. Oppidum audit: „Augusta Vindelicum“ apud: Ptolemaeum (II 12,3), Rufium Festum (brev. 8), in tabula Peutingeriana, in intinerario Antonini (p. 232, 236, 241, 258, 274), in titulo urbano (Gruter. p. 559,5); „Augusta Vindelicensis“ in notitia dignitatum (oc. XI 30); modo „Augusta“ apud Venantium Fortunatum (vita sancti Martini p. 698), apud Ravennatem fortasse (IV 26 „Nova Augusta“), in compluribus miliariis, Septimii Severi aetate conscriptis (C. I. L. III 5981 sq.). In duobus titulis Rhenanis (Brambach, C. I. Rh. 1617 a. 186; 999 anno 210) deinde oppidum: „Aelia Augusta“ atque in titulo, Augustae reperto (C. I. L. III 5800); „municipium Aelium Augustum“ vocatur. Augustam Vindelicum anno 15 a Druso Augusti auspiciis conditam esse cum Theodoro Mommsen[1]) et Joachimo Marquardt[2]) censeo. Quod Tacitus (Germania c. 41) de „spendidissima Raetiae provinciae colonia“ loquitur, ille certe de Augusta Vindelicum cogitat; neque enim verba illius ad aliud oppidum pertinere possunt. Sed Augusta Vindelicum colonia non erat; Augustus enim in illarum provinciarum numero, in quas colonias deduxerit, Raetiam omisit (Mon. Ancyr. V c. 35). Accedit, quod „Augusta Vindelicum“ sub Hadriano municipium erat; neque enim oppidum Traiano imperante melioris iuris fuisse, quam paulo post, verisimile est. Potius „Augusta Vindelicum“, a Druso fori

[1]) C. I. L. III p. 711.
[2]) Staatsverfassung d. Röm. Reichs I 2 p. 289.

loco condita, ideo a Tacito colonia dicitur, quod vicus erat, in modum coloniae exstructus[1]; Tacitus loco citato non de iure coloniae, sed de Romanorum aedificatione oppidi in universum cogitat[2]. Ab Hadriano oppidum ius municipii accepit, ut „Aelium“ vel „Aelia“ cognomen indicat. Augusti Zumpt[3]) coniecturae, qui Hadrianum oppidum condidisse et „Augustam Aeliam“ appellasse putat, imprimis id repugnat, quod apud auctores semper modo: „Augusta“ atque nusquam: „Augusta Aelia“ occurrit, quod solum „Augusta“ nomen non nisi ad Augustum pertinere potest. Accedit, quod permultae civitates Galliarum et Germaniarum ab Augusto similia nomina acceperunt. „Vindelicum“ cognomen, quod etiam in notitia dignitatum occurrit, fere sexto saeculo intercidit indeque oppidi nomen erat modo „Augusta“. Carolina aetate (anno 832) oppidum in annalibus Bertinianis audit: „Augustburg“ atque hodie „Augsburg“.

65. Juliomagus.

In tabula Peutingeriana, a lacu Brigantino in septemtrionem atque a Brigobonne oppido in occasum spectans, „Juliomagus“ occurrit, quae cum hodierno oppido „Stühlingen“ componenda esse videtur; neque vero de situ oppidi certi quicquam explorari potest. Juliomagus a Druso in honorem Augusti anno 15 seu paulo post condita esse videtur, sed sine dubio perexigua erat, cum apud auctores nusquam commemoretur.

66. Augustae.

In itinerario Antonini (p. 249) intra Boiodurum et Reginam „Augustae“ seu „Augusti“ oppidum occurrit, quod etiam in notitia dignitatum (oc. XXXV 14) commemoratum esse videtur atque a Theodoro Mommsen[4]) prope hodiernum oppidum „Straubing“ ponitur. Haud scio an „Augustae“ item atque Augusta Vindelicum anno 15 a Druso conditae sint; sine dubio oppidum exigui erat momenti, cum apud chorographos non occurrat.

67. Drusomagus.

Ptolemaeus (II 12,5) Drusomagum post Octodurum commemorat. Utrumque oppidum in valli Poenina situm erat, quae anno 15 a. Chr. n. Raetiae provinciae adiuncta est; tum fortasse Drusomagus a Druso condita est, sed non ita floruisse videtur, cum Ptolemaeo excepto oppidi nulla mentio fiat.

---

[1]) Th. Mommsen, C. I. L. III p. 711.
[2]) J. Marquardt l. c.
[3]) Comment. epigr. p. 403.
[4]) C. I. L III p. 734.

Pannonia.

68. Caesariana.

In itinerario Antonini (p. 263) intra Mogentianam et Osones oppida „Caesariana“ occurrit, quae igitur prope septemtrionale litus Peltonis lacus sita fuisse videtur. H. Kiepert[2]) Caesarianam fuisse hodiernum „Nagy-Vasony“ censet, quae coniectura itinerario bene apta est. Caesarianam anno 9 a. Chr. n. seu paulo post a Tiberio castelli loco conditam et in Augusti honorem nominatam esse censeo; oppidum, quod tertio saeculo etiam occurrit, postea delapsum esse videtur.

69. Julia Scarbantia.

Scarbantia, quae a Carnuto in meridiem vergebat, apud Ptolemaeum (II 15,5) ita audit, apud Plinium (III 146) autem: „Julia Scarbantia“ vocatur. Scarbantia, quae forma nominis in titulis (C. I. L. III 4243, 4249) occurrit, certe anno 9 seu paulo post, Pannonia expugnata in Augusti honorem „Juliae“ cognomen accepit, sed manebat oppidum stipendiarium; postea autem sub Vespasiano vel potius sub Domitiano municipium „Flavium Augustum“ evasit. (C. I. L. l. c.)

Moesia Inferior.

70. Augustae.

„Augustae“ vel „Augusti“ oppidum, ad Istrum situm, quod in itinerario Antonini (p. 220), in tabula Peutingeriana, in notitia dignitatum (XLII 7,17), apud Ravennatem (IV 7), apud Procopium (de aedif. IV 6) commemoratur, anno 9 a. Chr. n., vel insequentibus annis castrorum loco conditum esse videtur. Justinianus imperator „Augustas“ restituit (Procop. l. c.); anno 583 autem oppidum ab Avaribus expugnatum est (Theophyl. Sim. I 4) indeque nullius momenti erat.

Thessalia.

71. Caesarea.

Apud Hieroclem (642) inter Triccam, Gomphos, Pharsalum, oppida „Caesarea“ commemoratur, quae igitur in valle Pamisi sita erat; oppidum praeterea occurrit in actis concilii Ephesii a. 431 (Harduin. I 1352 C.) Caesarea haud scio an ab Augusto, ut multa oppida eiusdem nominis, condita sit; sine dubio autem non ita

---

[1]) C. I. L. III, in tabula II.

floruit; Justiniani aetate enim, omnino collapsa, restituta et denuo aedificata est (Procop. de aedif. IV 3). Postea Caesarea non iam occurrit, nisi apud Constantinum Porphyrogenetum (de them. 49,6).

Asia.

72. Hierocaesarea.

Hierocaesarea, quae inter Thyatiram et Sardes sita erat et a Thyatira octo fere milibus passuum aberat[1]), commemoratur apud: Tacitum (ann. II 47, III 62 a. a. 22 p. Chr. n.), Ptolemaeum (V 2,16), Georgium Cyprium (182, 1319, Gelzer), in notitia episcopatuum (I 182, III 115, alibi), in patrum Nicaenorum nominibus (V 132, VIII 137, Gelzer), in actis concilii Chalcedonensis (Harduin. II 369), apud Pausaniam (V 27), deinde in nummis ex Nerone usque ad Septimium Severum (Eckhel III p. 103; Head. H. N. p. 550); oppidum ab Augusto conditum est, qui similia nomina aliis oppidis imposuit, ut „Augustonemetum" (Augusti sacrum) et „Augusti Lucum". Vox „ἱερὸσ" haud dubie pertinet ad Dianae cultum, ibi celebratum (Tac. Ann. III 62). Jam anno 22 p. Chr. n. oppidum secundum Taciti verba satis magnum fuisse videtur. Nomen „Hierocaesarea" apud Romanus semper usitatum erat atque decimo saeculo etiam occurrit.

73. Caesarea = Tralles.

Apud Plinium (V 120) „Caesarienses" commemorantur, qui ad conventum Ephesium pertinuisse dicuntur. Quae „Caesarea" cum „Trallibus" componenda est, quod oppidum non multo a Mostene aberat[2]); in nummis enim (Eckhel III p. 126) „Καισαρεῖς Τραλλιανοί" occurunt. Caesarea praeterea commemoratur apud Georgium Cyprium (185, 1322 Gelzer) et in notitia episcopatuum (XIII 104). Tralles oppidum ab Augusto „Caesareae" cognomen accepit, quod altero saeculo etiam tantum in nummis occurrit, cum Ptolemaeus (V 2,19) nomine „Tralleis" utatur. Postea autem, certe saeculo sexto, „Caesarea" solum nomen erat, quod decimo saeculo etiam usurpabatur.

Bithynia.

74. Caesarea Germanica.

Caesarea Germanica, ad Propontidem intra Dasoylium et Apameam sita, ita audit in nummis ex Germanico usque ad Valerianum (Head, H. N. p. 438). Apud auctores autem oppidum

[1]) Ramsay, Asia Minor p. 128.
[2]) Ramsay, Asia Minor p. 124.

modo „Caesarea“ audit, ut apud Ptolemaeum (V 1,14), qui praeter „Caesareae“ etiam nomen „Smyrdeane“ exhibet, apud Dionem Chrysostomum (or. 47 p. 226), apud Hieroclem (693), Georgium Cyprium (198, 1335), in actis concilii Nicaeni (Harduin. I 320 B), in concilio Chalcedonensi a. 451 (Harduin. II 58 D), in patrum Nicaenorum nominibus (I 200, II 199, III 199, alibi), in notitia episcopatuum (I 198, III 132, VIII 209, alibi). Oppidum, quod cum „Helga, quae et Germanicopolis“ confundi non debet, fortasse iam ab Augusto „Caesarea“ nominatum est; Germanicus autem, qui anno 17 p. Chr. n., in Syriam profisciscens, Asiam visit, Caesareae, quam denuo condidit, cognomen „Germanicae“ imposuit, quod tantum sollemniter usurpabatur. In nummo enim Germanici (Head H. N. p. 438) Germanicus Caesar „Κτίστης“ vocatur. Tamen „Caesarea“ nomen, quippe quod solum apud auctores occurrat, non a Germanico, sed ab Augusto „Smyrdeanae“ oppido esse impositum censeo. Nam, si utrumque nomen „Caesarea“ et „Germanica“ ab eodem Germanico Caesare oppido impositum esset, notius atque insignius nomen scil.: „Germanica“ usu cotidiano futurum fuisse ut reciperetur, arridet. „Caesarea“ nomen ex Augusti aetate usque ad saeculum decimum apud Romanos usitatum erat.

75. Neocaesarea.

Neocaesarea, quae prope Aristen sita erat et a lacu Artynia in meridiem vergebat[1]), occurrit in actis conciliorum (Harduin. a. 431, I 1455 E; a. 518, II 1326 E), apud Hieroclem (693), Georgium Cyprium (1333), in notitia episcopatuum (III 130, VIII 207, IX 116, alibi). Neocaesarea sine dubio, ut cetera eiusdem nominis oppida, ab Augusto condita est. Cum Plinius et Ptolemaeus, qui alteram Neocaesaream Ponti commemorant, hanc omittant, oppidum demum ex quarto vel quinto saeculo paulo florentius atque praeclarius factum esse videtur; episcopi enim sedes factum erat. Neocaesarea nomen, quod decimo saeculo etiam usurpabatur, apud Romanos numquam intercidisse videtur.

Phrygia.

76. Augustopolis = Sürmene.

Augustopolis, quae intra Polybotum et Acmoniam in Phrygia Salutari sita erat, est hodiernum: „Sürmene“[2]). Oppidum commemoratur in concilio Ephesio (Mansi IV 1361), apud Suidam (sub „Eugenios“), Epiphanium (adv. haer. III 73,26), Georgium Cyprium

[1]) Ramsay, Asia Minor p. 181.
[2]) Ramsay, l. c. p. 143, 178.

(384, 1508), in vita Eutychii (Act. Sanct. p. 550), in notitia episcopatuum (I 384, III 340, VII 165 alibi). Augustopolis sine dubio ab Augusto condita est; neque enim ad alium imperatorem solum „Augusti" nomen pertinere potest; oppidum apud Romanos semper ita audiebat, sed ex quarto demum saeculo paulum floruisse videtur; caput episcopatus enim factum erat.

77. Diocaesarea = Ceretapa.

Diocaesarea, ad lacum „Aulindenum" sita, quae prius „Ceretapa" audiebat, vocatur „Diocaesarea" apud Ptolemaeum solum (V 2,26), „Ceretapa" autem apud Hieroclem (666), Georgium Cyprium (1476), Socratem (hist. eccles. II 40), in notitia episcopatuum (VIII 273, X 422, III 309, Χαιρέταπα), in concilio Ephesio a 431 (Harduin. I 1430 C, 1528 C); utrumque nomen autem in nummis ex Plotina usque ad Severum occurrit (Head, H. N. p. 560). Ceretapa ab Augusto nomen „Diocaesareae" accepit, quod usque ad tertium saeculum usitatum erat indeque vetus nomen rursus usu receptum est.

Pontus.

78. Neocaesarea = Cabira = Niksar.

Neocaesarea, in Ponto Polemoniaco ad Lycum sita, occurrit apud Plinium (VI 8), Ptolemaeum (V 6,10), Stephanum Byzantium, Ammianum (27, 12,9), Hieroclem (702), Georgium Cyprium (24, 266, 1130, 1400), in tabula Peutingeriana, in patrum Nicaenorum nominibus (I 113, II 199, alibi), in notitia episcapatuum (I 267, III 217, alibi), in vita Gregorii Thaumaturgi (p 537), in nummis ex Tiberio usque ad Gallienum (Head H. N. p. 426). Neocaesarea, quae prius Cabira audiebat [1]), ab Augusto illud nomen accepit, quod inde apud Romanos semper usitatum erat; hodie oppidum audit „Niksar", quam formam ex „Neocaesarea" esse exortam apertum est. Neocaesarea magnum et pulchrum Ponti Polemoniaci caput erat.

79. Hierocaesarea = Comana Pontica.

Comana, quae a Neocaesarea paulo in meridiem atque in occasum vergebat, apud auctores ex Hirtio (bell. Alex. c. 39,56) usque ad decimum saeculum semper ita audit, cum in titulis (v. Hammer, Fundgr. d. Orients V p. 45) atque in nummis (Head H. N. p. 426) ex Nerva usque ad Gallienum cognomen „Hierocaesareae" occurat, quod oppido sine dubio, item atque Hierocaesareae

[1]) Hamilton, Researches I p. 345.

Lydiae, ab Augusto propter insignem cultum Anaitidis deae, ibi celebratum, impositum est. Comana tantum publice „Hierocaesarea“ vocabatur. — In universum nomina Hierocaesarea, Diocaesarea, Neocaesarea, Caesarea, quae in orientali parte imperii occurrunt, plane respondent nominibus „Augustonemeto“, „Augusti Luco“, „Augustae Novae“, „Augustae“, quae oppida quaedam, in occidentali parte sita, acceperunt. Quae omnia nomina, quin ad solum Augustum pertineant, dubium non est.

Cappadocia.

80. Diocaesarea = Nazianzus.

Diocaesarea, in Garsauriti sita, quae posteriore aetate „Nazianzus“ audiebat[1]), ita audit apud Plinium (VI 8), Ptolemaeum (V 6,14), Gregorium Nazianzenum (Poem. p. 1121 Migne). Oppidum sine dubio ab Augusto conditum est atque primo et altero saeculo audiebat „Diocaesarea“; inde a tertio saeculo „Nazianzus“ nomen usitatum erat, quod occurrit in itinerariis (144, 577), in concilio Constantinopolitano a. 381 (Harduin. I 8 5 E), in notitia episcopatuum (I 459, III 432, alibi), apud Hieroclem (700), Socratem (hist. eccles. IV 11), Georgium Cyprium (459). „Diocaesarea“ nomen igitur tertio saeculo intercidit; tantum Gregorius, qui inde erat oriundus, postea illud usurpat.

Cilicia.

81. Diocaesarea.

Diocaesarea Ciliciae, a flumine Calycadno in meridiem versus, inter Seleuciam et Claudiopolim sita erat[2]). Oppidum ita audit apud Ptolemaeum (V 8,5) Hieroclem (709), Georgium Cyprium (839, 1608), in actis conciliorum (Harduin I 816 A, II 374 E), in notitia episcopatuum (I 839, III 732, X 790), deinde in nummis ex Traiano usque ad Philippum iun. (Head. H. N. p. 602). „Diocaesarea“ nomen, quod pertinet ad cultum Iovis, ibi celebratum, (Head l. c.) oppido ab Augusto impositum est atque apud Romanos semper usurpabatur. Hadrianus oppido sollemne cognomen „Hadrianae“ imposuit, quod non nisi in illius nummis occurrit.

82. Augusta = Augustopolis.

Augusta, in Bryclica intra „Podandum“ et „Anazarbum“ oppida ad Sarum flumen sita erat[3]); in nonnullis nummis deus fluvialis

[1]) Ramsay, Asia Minor p. 285.
[2]) Ramsay, Asia Minor p. 364, p. 454.
[3]) Ramsay, Asia Minor p. 384.

occurrit (Zeitschr. f. Numism. X p. 291). Oppidum audit „Augusta“ apud Plinium (V 93), Ptolemaeum (V 8,6), Stephanum Byzantium, Hieroclem (704), in actis conciliorum (Mansi a. 431, IV 1269; a. 451, VII 144, 402), cum apud Georgium Cyprium (814) et in notitia episcopatuum (I 814) forma „Augustopolis“ occurrat. In nummis ab Augusto usque ad Valerianum (Eckhel III p. 51; Head H. N. p. 599) epigraphe est: „Augustanorum“. Aera oppidi anno 20 p. Chr. n. incipit, quem annum ad oppidum conditum, vel ad illum, ex quo nomen acceperit, pertinere non posse iam nomen ipsum indicat. Augusta certe intra annos 25 – 20 a. Chr. n. condita est[1]), fortasse anno 20, quo Anazarbus „Caesareae“ cognomen accepit[2]); oppidum usque ad sextum saeculum ita audiebat, indeque forma „Augustopolis“ usu recepta est, quae primo apud Georgium Cyprium occurrit.

83. Caesarea ad Anazarbum (Justinianopolis) = Anavarza.

Caesarea Ciliciae ad Pyramum flumen sita erat. Augustum anno 20/19 a. Chr. n. prope Anazarbum montem oppidum Caesaream condidisse ex nummis (Eckhel III p. 41) apparet, in quibus aera oppidi ex anno 20 ducitur. Oppidum audit apud Plinium (V 8): „Anazarbeni, qui nunc Caesarea“, apud Ptolemaeum (V 8,7) et in nummis Antonini et M. Aurelii: „Καισάρεια προσ Ἀναζάρβῳ“, in nummo Neronis autem modo: „Caesarea“. In nummis a Commodo, in itinerario Antonini (p. 211, 212), in tabula Peutingeriana, apud Hieroclem (705), Georgium Cyprium (818), Stephanum Byzantium, in notitia episcopatuum (I 818) solum nomen „Anazarbus“ seu „Anazarba“ occurrit. Ex anno 20 a. Chr. n. igitur usque fere ad annum 180 p. Chr. n. oppidum audiebat: „Caesarea ad Anazarbum“; ex Commodi autem aetate „Caesarea“ nomen intercidit indeque solum nomen „Anazarbus“ vel „Anazarba“ usurpabatur, unde hodiernum nomen „Anavarza“ exortum est; Justinianus anno 525 Anazarbum, quod terrae motibus deletum erat, restituit atque ex se „Justianopolim“ nominavit, quod nomen apud Procopium (hist. arc. 18, Cedrenum p. 299), Theophanem (171,17), Euagrium (IV 8), in concilio Mopsuestiano a. 550 (Harduin. III 132 A) occurrit, sed non diu usitatum fuisse videtur. Quod Suidas oppidum primo „Cyindam“, deinde „Diocaesaream“ audivisse atque Nerva demum imperante ex Anazarbo senatore, qui oppidum terrae motu deletum restituisset, „Anazarbum“ vocatum esse refert, nullius momenti est, cum omnes ceteri chorographi repugnent.

1) O. Cuntz, Suppl. Jahrb. f. Philol XVII p. 486, 487.
2) O. Cuntz, l. c.

Cyprus.

84. Augusta Paphos.

Paphos, Cypri oppidum, quod terrae motu affectum erat, ab Augusto anno 15 a. Chr. n. pecunia adiutum est et „Augustae" cognomen accepit (Dio 54,23), quod sine dubio volgari usu receptum non est neque in nummis occurrit.

Syria et Palaestina.

85. Caesarea Stratonis = Kaisarije.

Caesarea Stratonis, in ora maritima sita, quae usque ad Augusti tempora audiebat: „Στράτωνος πύργος" (Artemidor. apud Stephanum Byzantium; Josephus, ant. XIII 313, bell. Jud. I 80; Strabo p. 758) et a Pompeio, Judaeis victis, Syriae provinciae attributa erat (Joseph. ant. XIV 76), ab Augusto una cum aliis Palaestinae oppidis Herodis regno adiecta est (Joseph. ant. XV 217; bell. Jud. I 396). Herodes magnus oppidum, satis collapsum, denuo restituit atque ibi templum Augusti, theatrum, tutum atque magnum portum aedificari iussit. Anno 10/9 deinde oppidum, per decem annos praeclare restitutum atque ornatum, celeberrimis ludis atque summo cum splendore consecratum atque Augusti in honorem „Caesarea" nominatum est (Joseph. ant. XIV 76, XV 217, XVI 136, bell. Jud. I 156, 396, 408; Chron. Pasch. I 367; Euseb. chron. II p. 142). Caesarea ex Augusti aetate persaepe commemoratur, sed multa varia cognomina occurrunt. Apud Josephum (ant. XVI 136) et Philonem (leg. ad Gaium § 38) reperitur: „Καισάρεια Σεβαστή", quod cognomen ad portum pertinet; apud Plinium (V 69), Ptolemaeum (V 16,2), in titulo (Le Bas-Waddington III 1620b) oppidum audit: „Caesarea Stratonis"; apud Josephum (ant. XIII 313; bell. Jud. I 80, III 409, 443, VII 20, 30): „Καισάρεια ἡ παράλιος" vel „ἡ ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ"; apud Eusebium deinde (de martyr. Palaest. I 2, hist. eccles. III 31,5), Apollonium Tyaneium (epist. XI), in itineribus Hierosolymitanis (p. 19, 12,13; p. 21, 1,25; pag. 25, 23,26, Geyer), in itinerario Hierosolymitano (p. 585, 589, 600, 601, Parthey), in actis conciliorum (a. 394, Harduin. I 955 A; a. 553, III 203 A) reperitur: „Caesarea Palaestinae" vel „Caesarea in Palaestina"; in itinerario Antonini (p. 150, 199), apud Ravennatem (II 14), in patrum Nicaenorum nominibus (V 26, VII 28, saepius, Gelzer), apud Georgium Cyprium (999), Hieroclem (718), in notitia episcopatuum (V 80) demum oppidum modo „Caesarea" vel „Caesarea metropolis" audit. Vespasianus Caesaream coloniam deduxit; indeque

oppidum in nummis usque ad Gallienum (Head H. N. p. 678) audit: „col. Prima Flavia Augusta Caesarea", vel ex Alexandro Severo: „col. Prima Flavia Augusta Felix Caesarea, Metropolis Provinciae Syriae Palaestinae" (Eckhel III p. 430), cum in nummis ex Augusto usque ad Neronem (Head l. c.) „Caesarea" vel „Caesarea ad portum Sebasten" vocetur. Caesarea igitur, quae prima Flavia colonia erat, anno 70 deducta esse videtur. Vespasianus coloniae tributum capitis remisit atque Titus immunitatem adiecit (Digest. L. 15, 1,6). Haud scio an nullum oppidum tot cognomina, quot Caesarea, acceperit. Usque ad annum 10/9 oppidum, ut vidimus, audiebat: „Turris Stratonis"; inde usque ad tertium saeculum: „Caesarea Stratonis", vel „Caesarea Sebaste" vel Καισάρεια παράλιοσ; ex quarto saeculo autem: „Caesarea Palaestinae", vel posteriore aetate modo: „Caesarea" Recens nomen est „Kaisarije"; plurima sollemnia cognomina sub Caracalla occurrunt (Eckhel III p. 432), qui oppido cognomina „Felicis" et „Antonianae" imposuit. Illo imperante plenum nomen oppidi erat: „col. Prima Flavia Augusta Felix Caesarea Antoniniana Metropolis Provinciae Syriae Palaestinae."

86. Julias = Bethsaida.

Julias septemtrionali in litore Genesarae lacus sita erat. Herodes Philippus, filius Herodis magni, Bethsaidae vico, quem Josephus (ant. Jud. XVIII 28), Eusebius (Onom. ed Lagarde p. 239), alii commemorant, Juliae, Augusti filiae, in honorem nomen „Juliadis" imposuit (Josephus l. c.), quod occurrit apud Plinium (V 71), Josephum (bell. Jud. II 9,1, 13,2; IV 10,7; ant. XX 159, alibi), Ptolemaeum (V 16,4), Hieronymum (comm. in Matth. 16,13), in itineribus Hierosolymitanis (p. 134,5; 314,17; 268,16; 315,20; 316,7. Geyer), apud Ravennatem (II 14). Nummos, quorum in aversa inscriptio est „Julia" (Eckhel III p. 422) non ad Juliadem oppidum, sed ad Juliam Augustam, quae et Livia, pertinere Eckhel (l. c.) censet. Eusebius (chron. II p. 146—149, Schoene) false Juliadem Tiberii demum aetate, anno 25/26 illud nomen accepisse refert; sed anno 2 a Chr. n. Julia propter pravos mores turpiter Pandatariam in insulam missa est. Si quis igitur post annum 2 a. Chr. n. Juliae publice mentionem fecisset, illum Augustum vehementissime fuisse laesurum necesse est. Qua de causa Philippum, qui anno 4 a. Chr. n., patre mortuo, regnare coepit, intra annos 4 et 2 a. Chr. n. Bethsaidam appellasse „Juliadem" probabile est. Quo ex tempore oppidum apud veteres semper ita audiebat.

87. Caesarea Philippi (Paneas) = Banias.

Caesarea Paneas, prope Jordanis fontes sita, apud Polybium (XVI 18,2, XXVII 1,3) audit: „Πάνιον“; apud Plinium (V 74), Ptolemaeum (V 15,21), in tabula Peutingeriana, apud Ravennatem (II 15), in titulis (C. J. Gr. 4750, 4921; Le Bas-Waddington III 16206): „Caesarea Paneas“ („Καισάρεια ἡ Πανιάς“); apud Josephum deinde (ant. XVIII 28, bell. Jud. III 443, VII 23), in evangeliis (Matth. 16,3, Marc. 8,27), in itineribus Hierosolymitanis (p. 268,8, Geyer): „Caesarea Philippi.“ Solum nomen „Paneas“ demum occurrit in patrum Nicaenorum nominibus (I 46, II 47, Gelzer), apud Eusebium (Onom. ed. Lagarde p. 215,82; p. 217,40; hist. eccles. VII 17,18), Sozomenum (hist. eccles. V 21), Hieroclem (716), Georgium Cyprium (980), in notitia episcopatuum (I 980), in actis conciliorum a. 325, a. 381, a. 451 (Harduin. I 314 D, I 814 E, II 395 B). Vetus nomen oppidi erat „Panias“; Augustus anno 20 a. Chr. n., Zenodoro victo, Herodi magno territorium et oppidum Paniadem donavit (Josephus ant. XV 360). Herodes ibi prope sacrum antrum, cui nomen „Πάνιον“ erat, in honorem Augusti pulcherrimum templum aedificavit (ant. XV 363). Philippus autem, qui ex anno 4 a. Chr. n. usque ad annum 33 p. Chr. n. regnavit, oppidum novis aedificiis ornavit atque amplificavit et „Caesaream“ appellavit. Eusebius (chron. II p. 146 – 149) Juliadem et Caesaream Philippi a Philippo anno 25/26 p. Chr. n. nova illa nomina accepisse refert. Sed, cum Juliadem intra annos 4 – 2 a. Chr. n. illud nomen accepisse viderimus, de Caesarea idem censendum est; accedit, quod Philippum Tiberio imperante oppidum ullum „Caesaream“, quod nomen ad Augustum spectat, appellasse non arridet. Praeterea aera oppidi anno 3/2 a. Chr. n. incipit (Eckhel p. 342); tum igitur oppidum a Philippo in honorem Augusti „Caesarea“ nominatum esse videtur indeque usque fere ad Vespasiani aetatem: „Caesarea Philippi“ audiebat. Postea, fere usque ad quartum saeculum, nomen „Caesarea Paneas“ usitatius erat; inde autem „Caesarea“ nomen omnino intercidit ita, ut oppidum modo „Paneas“ audiret, quae forma etiam sexto saeculo usurpabatur. Hodie etiam oppidum „Banias“ vocatur. Oppidum per aliquot annos „Neronias“ audiebat; anno 53 enim Agrippa II Caesaream, quam Romani ipsi per aliquot annos administraverant, a Nerone imperatore rursus recepit atque tum oppido amplificato nomen Neroniadem imposuit (Joseph. ant. XX 211), quod raro sub Nerone in nummis occurrit (Mionnet V p. 315), sed certe volgare factum non est, cum apud auctores non commemoretur. Sollemne nomen oppidi, quod in nummis inde a M. Aurelio usque ad Aquilliam Severam occurrit (Head H. N. p. 664), erat: „Caesarea Panias“ seu „Caesarea Paniados“.

88. Diocaesarea = Sepphoris = Autocratoris.

Sepphoris, quae a Genesara lacu in occasum vergebat, ita audit apud Josephum (ant XIII 12, XIV 15, XVII 10, XVIII 2; bell. Jud. III 2, II 18) et Ptolemaeum (V 10,4 Σαπφουρίσ), cum apud Socratem (hist. eccles. II 30), Hegesippum (hist. I 30), Hieronymum (prol. ad Jonam), Georgium Cyprium (1035), Hieroclem (720), in notitia episcopatuum (V 116) nomen „Diocaesarea" occurrat. Sepphoris oppidum, quod antea parvi momenti erat, ab Herode Antipatro muris circumdatum et Galileae caput factum est, quo tempore ille oppido nomen „Autocratoridem" imposuit (Joseph ant. XVIII 27), quod Josepho omisso nusquam reperitur. „Diocaesareae" nomen non ab Herode Antipatro oppido in honorem Augusti, ut censet A. Forbiger[1]), datum esse ex nummis apparet, in quibus (Eckhel III p. 425) sub Traiano etiam nomen „Sepphoris" solum, sub Antonino Pio autem praeterea „Diocaesarea" nomen occurrit. Accedit, quod Ptolemaeus, qui omnia nomina, Augusti aetate usitata, imprimis autem ea, quae ex Augusto repetenda sunt, commemorat, etiam solum nomen „Sepphorim" exhibet. Cum Ptolemaeus sub Hadriano floruerit, post Hadrianum, igitur Antonino Pio imperante, Sepphorim illud nomen accepisse censeo, quod ex illo tempore apud Romanos semper usitatum erat. Postea autem, sub imperio Arabum, vetus nomen rursus usu receptum est; hodie enim oppidum audit „Sufurieh".

89. Drusias.

Drusias secundum Ptolemaei testimonium (V 16,6) fere inter Archelaim, Antipatridem, Sebasten oppida sita erat. Nomen Drusias ad Drusum, Augusti privignum, spectare videtur; prope Caesareae portum enim, in honorem Drusi modo mortui, turris maxima „Drusium" („Drusus") vocata est (Joseph. bell. Jud. I 21,6, ant. XV 9,6). Anno 9 a. Chr. n. igitur oppidum, item in honorem Drusi, illud nomen ab Herode magno accepisse videtur, quod altero saeculo certe etiam usurpabatur. Postea autem Drusias nullius momenti fuisse videtur, cum nusquam occurrat.

90. Augustopolis.

Augustopolis, in eparchia tertiae Palaestinae sita, occurrit apud Hieroclem (721), Georgium Cyprium (1045), in notitia episcopatuum (I 999, V 126), in actis conciliorum (Mansi IV 1125, 1145, 1217, V 589, VIII 994, 1022, 1171). Haud scio an oppidum, cuius de situ nihil constat, ab Augusto conditum sit;

[1]) geogr. antiqua. II. p. 694.

neque enim ullum imperatorem quarti vel quinti saeculi, quibus Augustopolis primo occurrit, oppido cuivis nomen „Augustopolim“ imposuisse probabile est, ut docent nomina „Arcadiopolis“, „Zenonopolis“, „Theodosiopolis“, alia; accedit, quod Augustum Phrygiae oppido cuidam nomen „Augustopolim“ dedisse vidimus. Sine dubio oppidum priscis imperii temporibus exigui momenti erat; quinto vero saeculo sedes episcopalis erat, unde concludere licet paulo magis quam antea oppidum floruisse.

91. Livias (Julias) = Betharamphta.

„Betharamphtha“ seu „Bethara“ oppidum, ab Jordane in orientem versus, prope septemtrionale litus lacus Asphaltidis situm erat. Quo de oppido legimus apud Josephum (ant. XVIII 27): „Βηθαραμφθᾶ δὲ τείχει περιβαλὼν (scil. Herodes Antipas) Ἰουλιάδα ἀπὸ τοῦ αὐτοκράτορος τῆς γυναικὸς ὠνόμασεν“ atque apud Eusebium (Onom. p. 234): „Βηθραμφθὰ . . . . ., αὐτὴ δέ ἐστιν ἡ νῦν καλουμένη Λιβιάς“ atque in chronico Eusebii (Schöne II p. 148) ad annum 27 p. Chr. n.: „Herodes Tiberiadem condidit et Liviadem“, deinde apud Hieronymum (Onomast. p. 103): „Bethramtha . . . . . ab Herode in honorem Augusti Livias cognominata“, demum apud Syncellum (ed. Dindorf I p. 905) ad annum 27 p. Chr. n.: „Ἡρώδης ἔκτισε Τιβεριάδα εἰς ὄνομα Τιβερίου Καίσαρος ὁ αὐτὸς Λιβιάδα“. „Julias“ nomen reperitur apud solum Josephum (ant. XVIII 27, bell. Jud. IV 7,6, ant. XIV 2,4); Baedae (in itin. Hierosol. p. 314,17, Geyer) locus enim, ubi oppidum „Julias“ audit, quippe qui ex Hegesippo (p. 240,29) sumptus sit, a Josepho pendet. „Livias“ nomen (Liviada, Leviada Λιβνάσ) autem reperitur apud Strabonem (p. 763, false „Λυσιάς“ pro „Λιβιάσ“ in nonnullis codicibus), Plinium (H. N. XIII 44), Ptolemaeum (V 16,9), Eusebium (l. c.), Hieronymum (l. c.), Hieroclem (718), Georgium Cyprium (1018), Theodosium (de situ terrae sanctae, § 65 Gildemeister), Ravennatem (II 14), Gregorium Turonensem (de glor. martyr. I 18), in itineribus Hierosolymitanis (p. 51,52, 54, 145 Geyer), in actis conciliorum (Le Quien, oriens christ. III p. 655), in notitia episcopatuum (V 99). Quibus ex testimoniis oppidum ab Herode Antipatro primitus „Liviadem“ appellatum esse atque ex illo tempore usque ad mediam, quae dicitur, aetatem, semper ita audivisse apparet. Quod Josephus (l. c.) oppidum in honorem imperatricis „Juliadem“ esse nominatum narrat, ille nomen publicum affert, quod oppido anno 14 p. Chr. n., ex quo Livia, in gentem Juliam recepta, modo „Julia“ vocabatur (Tacitus, ann. I 14, V 1; Sueton. Calig. c. 16; Josephus l. c., Cassius Dio 56,46; Plinius n. h. X 154), impositum est; illud nomen publicum autem vetustius nomen „Liviadem“ demovere non valuit. Eusebii et

Syncelli (l. c.) testimoniis, qui anno 27 p. Chr. n. demum oppidum ab Antipatro „Liviadem" esse nominatum referunt, nihil tribuendum est, quippe quae verba ex Josephi minime certis verbis (bell. Iud. II 9) hausta esse videantur. Accedit, quod imperatrix, quae anno 27 p. Chr. n. iam octoginta quattuor annos nata erat, ex anno 14 p. Chr. n., ut modo vidimus, semper „Julia" vocabatur et quod oppidum primitus „Livias" nominatum est[1]). Quibus de causis Herodes Antipater fere intra annos 4—1 a. Chr. n. Betharamphtae nomen „Liviadis" videtur imposuisse, quod inde semper usurpabatur. Per aliquot annos Livias publice audiebat „Julias", quod nomen sine dubio iam altero saeculo intercidit.

92. Anthedon = Agrippias.

Anthedon oppidum, in ora maritima intra Gazam et Ascalonem situm, ita audit apud Plinium (V 68), Ptolemaeum (V 16,2), Stephanum Byzantium, Sozomenum (hist. eccles. V 9), Hieroclem (719), Josephum (Ant. XIII 357, 359; XIV 88; bell. Iud. I 4,2, 8,4, 20,5), Georgium Cyprium (1011), in notitia episcopatuum (V 92). Augustus Anthedonem Herodi donavit, qui oppido in honorem Agrippae nomen „Agrippiadem" imposuit (Agrippion, Josephus, ant. XIII 357, bell. Iud. I 218; chron. pasch. p. 367 Bonn). Nummi, in quibus nomen „Agrippia" signatum est, non ad Anthedonem, sed ad Agrippiam Caesaream, in Bosporo sitam, spectare videntur. In nummis Elagabali et Severi Alexandri oppidum modo „Anthedon" audit (Head H. N. p. 679). Nomen „Agrippias", quod oppido certe ante annum 12 a. Chr. n. impositum est, usu receptum non est; vetus nomen Anthedon semper usitatum erat.

93. Arca Caesarea.

Arca, quae, a Tripoli in orientem versus, ad Libanum sita erat, ita audit apud: Plinium (V 74), Ptolemaeum (V 15,21), Josephum (ant. I 139), Hieroclem (716), Stephanum Byzantium, Socratem (hist. eccles. VII 36), in itinerariis (148, 583), apud Georgium Cyprium (974), in notitia episcopatuum (I 974). Apud Aurelium Victorem (Caesar. c. 24) autem legimus: „oppidum, cui duplex et Caesarea et Arca nomen est", atque in „historia Augusta" (Sever. Alex. c. 13) oppidum item „Arca Caesarea" vocatur. In nummis Antonini et Aurelii (Eckhel III p. 361) reperitur: „Caesarea Libani", sub Elagabalo autem et Alexandro: „col. Caesarea Libani"; praeterea in titulo (C. I. L. III 183) „Caesarienses ad Libanum" occurrunt. „Caesarea" cognomen, quod

[1]) Schürer, Gesch. des Jüd. Volkes II p. 125.

Arcae sine dubio in honorem Augusti impositum est, non nisi sollemniter usurpatum esse videtur. Elagabalus anno 219 oppido coloniae ius donavit, ut ex nummis apparet; inde Arca publice audiebat: „col. Caesarea Libani." Vulgare nomen apud Romanos autem semper erat modo: „Arca".

Euphratesia.

94. Neocaesarea = Caesarea.

Neocaesarea, in provincia Euphratesia ad Euphratem sita[1]), ita audit apud Procopium (de aedif. II 9), in actis conciliorum ex anno 325 usque ad annum 553 (Mansi II 1308, IV 169, 1472, V 776, VII 712, IX 393), in patrum Nicaenorum nominibus (I 66, II 66, alibi), apud Theodoretum (hist. eccles. I 7), cum apud Georgium Cyprium (882), in actis conciliorum (Mansi V 768), „Caesarea Euphratesiae Augustae" occurrat. Neocaesarea Euphratesiae, ut cetera oppida eiusdem nominis, ab Augusto condita, vel potius in Augusti honorem ita nominata esse videtur, sed usque ad quartum saeculum exigui momenti erat. Inde a quarto saeculo autem oppidum saepius commemoratur; sedes enim episcopi factum est. Sexto et septimo saeculis pro „Neocaesarea" nomen „Caesarea" usitatum erat.

Africa.

95. Vicus Augusti.

In itinerario Antonini (p. 43) et in tabula Peutingeriana „Vicus Augusti" in via, a Carthagine Hipponem Regium ferente, occurrit, qui Carthagine 83 milibus passuum aberat. Tissot[2]) vicum Augusti cum hodiernis ruinis „Sidi-bu-Kahila" componit. Nomen „Vicus Augusti" sine dubio ad Augustum pertinet atque tertio saeculo etiam usitatum erat.

96. Vicus Augusti = Augustum.

Alter Vicus Augusti in itinerario Antonini (p. 53—56) commemoratur, qui intra Hadrumetum, Aquas Regias, Thysdrum situs erat; apud Ptolemaeum (IV 3,38) ille vicus audit „Αὔγουστον" atque item prope Thysdrum situs esse dicitur. De situ vici pro certo diiudicari nequit[3]). Nomen ad Augustum spectat atque tertio saeculo etiam usurpabatur.

---

[1]) H. Gelzer, Georgius Cyprius p. 151.
[2]) Geogr. de l'Afrique II p. 251.
[3]) Tissot, l. c. p. 609.

Numidia.

97. Caesarea.

In Numidia „Caesarea" quaedam sita fuisse videtur, cum in notitia episcoporum Numidicorum (n. 47, Halm. Victor Vitensis p. 65) anno 484 episcopus Caesariensis commemoretur. Item anno 411 episcopus quidam Caesariensis (coll. Carth. c. 188, 189; Migne, patr. lat. XI 1331) occurrit, quem nullo modo ad Mauretaniae Caesaream pertinere posse Dessau[1]) censet. De situ et de conditore oppidi nihil constat. Haud scio an „Caesarea" nomen ad Augustum spectet, qui anno 25 Numidiam in provinciae formam redegit (Strabo XVII p. 840).

Mauretania Caesariensis.

98. Jol Caesarea.

Jol Caesarea, quae in ora maritima sita erat, ita audit apud Strabonem (XVII 831), Plinium (V 20), Melam (I 6), Ptolemaeum (IV 2,5), cum apud Orosium (VII 33,5), Eutropium (VII 10), Ammianum (29,5), Procopium (Vand. II 5,20), Justinianum (Cod. I 27,2), Solinum (25,16), in duobus titulis (C. I. L. VI 2401, 3262) modo „Caesarea" vocetur. Jol oppidum, quod Bocchi regia fuerat (Solinus l. c.), ab Juba II, qui anno 25 a. Chr. n. Bocchi regnum ab Augusto accepit, Augusti in honorem „Caesarea" vocatum est (Strabo l. c.; Mela l. c.). Anno 39 p. Chr. n. C. Caesar, Ptolemaeo, ultimo Mauretaniae rege, mortuo ex regno eius duas provincias effecit, quarum maiorem ex Caesarea oppido „Caesariensem" vocavit. Paulo post a Claudio Caesaream colonia deducta est, quae „Claudia Caesarea" sive: „— Caesariensis" nominata est (C. I. L. VI 3262, VIII 9400, 9401, 10985; itin. Antonin. p. 24). Anno 533 Caesarea Vandalis devictis ab Justiniani copiis expugnata et insequenti anno sedes ducis Mauretaniae facta est (Procop. l. c.; Justinian. l. c.) Jol nomen ex altero saeculo paulatim intercidit atque oppidum apud veteres ex illo tempore modo „Caesarea" audiebat.

Praeterea Nicaea, Thyatira, Perga, Cadi, cognomen „Augustiae" acceperunt, quod non nisi in nummis occurrit (Head H. N. p. 554, 560, 585, 443).

---

[1]) Pauly-Wissowa III p. 1295.

Tertium Caput.

Coloniae et cetera oppida, quae ex imperatoribus, post Augustum usque ad Constantinum regnantibus, nomina vel cognomina acceperunt.

14 p. Chr. n. — 337.

Tiberius 14—37 p. Chr. n. (Germanicus).

A. Coloniae.

De Tiberii coloniis nihil notum est.

B. Cetera oppida, quae ex Tiberio nomen vel cognomen acceperunt.

Germania Inferior.

99. Tiberiacum = Bergheim.

In itinerario Antonini (p. 375) inter coloniam Agrippinam et Juliacum commemoratur Tiberiacum, quod sine dubio ex Tiberio nominatum est, sed quo tempore, non constat. Haud scio an oppidum iam Augusto imperante intra annos 9 a. Chr. n. — 5 p. Chr. n. a Tiberio, qui tum Germanis bellum intulit, conditum sit; nomen certe etiam tertio saeculo volgare erat, etsi apud auctores nusquam occurrit. Tiberiacum fortasse non oppidum erat, sed castelli loco a Tiberio contra Germanos aedificatum est, qua de causa non nisi in itinerario Antonini commemoratur. Hodie oppidum audit „Bergheim".

Paphlagonia.

100. Gangra = Germanicopolis.

Gangra, prope Halym sita, apud plurimos auctores ita audit, ut apud Strabonem (p. 562), Athenaeum (III 7), Socratem (hist. eccles II 43), Georgium Cyprium (1127), in notitia episcopatuum (X 17, XII 18). Ptolemaeus (V 4,9) autem in Paphlagoniae oppidorum numero Gangram non affert, sed pro illo oppido apud eum „Germanicopolis" occurrit; praeterea in Novellis (29,1) legimus: „Γερμανικόπολις ἡ πρὸς Γάγγραν" Nummi exstant ex Hadriano usque ad Caracallam (Head H. N p. 433), in quibus Germanico-

polis Paphlogoniae urbs et Xanthus flumen commemorantur. Quibus ex nummis aeram oppidi item atque aeras Pompeiopolis et Neoclaudiopolis oppidorum esse ducendam ab anno 7 a. Chr. n. apparet, quo Augustus Paphlagoniam cum Galatia coniunxit [1]). Anno 7 a. Chr. n. autem Gangra nondum novum nomen Germanicopolim accepit, sed postea, Tiberio imperante, cum Germanicus, in Syriam proficiscens, anno 17 p. Chr. n. in illis regionibus per aliquot dies moraretur. Germanicus tunc tribus oppidis nomen „Germanicopolim“ imposuit, seu oppida in honorem Germanici illud nomen assumpserunt. Ante annum 17 p. Chr. n. ullum oppidum Asiae Minoris nomen Germanicopolim sibi imposuisse non puto, quoniam Germanicus antea non nisi in Germania bella gesserit et omnino demum sub Tiberio aliquantum gloriae assecutus sit. Ab anno fere 17 p. Chr. n. igitur usque ad quintum saeculum nomen „Germanicopolis“ usurpabatur, quod etiam anno 451 in actis concilii Chalcedonii (Harduin. II 373 B) occurrit; postea autem vetus nomen „Gangra“ rursus usu receptum est.

Bithynia.

101. Germanicopolis = Helgas.

Helgas oppidum, quod prope Prusam situm erat, Plinii aetate „Germanicopolis“ audiebat, quod nomen oppidum fortasse eodem tempore atque Gangra, scil. anno 17 p. Chr. n. accepit. Quamdiu nomen Germanicopolis usurpatum sit, non constat; Plinio (V 143) enim excepto oppidum nusquam commemoratur.

Phrygia.

102. Tiberiopolis.

Tiberiopolis, quae in Phrygia Pacatiana intra oppida „Azanos“ et „Ancyram“ sita erat [2]), commemoratur apud Ptolemaeum (V 2,25), Socratem (hist. eccles. VII 46), Hieroclem (668), Georgium Cyprium (353, 1728), in notitia episcopatuum (III 601, VIII 404), in nummis ex Hadriano usque ad Gordianum (Head H. N. p. 570). Oppidum sine dubio a Tiberio conditum est, seu nomen novum accepit, quod inde apud Romanos semper usurpabatur.

---

[1]) J. Marquardt, St. V. d. röm. Reichs I² p. 359.
[2]) Ramsay, Asia Minor p. 147, tab. p. 104.

Pisidia.

103. Pappa Tiberia.

Pappa, quae a Carali lacu in septemtrionem vergebat, apud auctores semper ita audit; Tiberius oppido sollemne cognomen „Tiberiae" imposuit, quod in nummo Antonini Pii occurrit (Head H. N. p. 591); altero saeculo igitur illud cognomen etiam publice usurpabatur.

Cappadocia.

104. Caesarea Mazaca = Kaisarieh.

Mazaca sive Eusebia, ad Argaeum montem sita, vetus Cappadociae caput erat. Oppidum audit apud Plinium (VI 8): „Mazaca, quae nunc Caesarea nominatur", apud Ptolemaeum (V 6,8): „Μάζακα ἡ καὶ Καισάρεια," in itinerario Antonini (saepe), in patrum Nicaenorum nominibus (V 93, VII 100, alibi), in notitia episcopatuum (II 3, X 3, XII 1), apud Hieroclem (698), Georgium Cyprium (8,86, 1218): „Caesarea", apud Constantinum Porphyrogenetum (de them. 20, 20a): „Caesarea Metropolis," in nummis ex Tiberio usque ad Trebonium Gallum (Head, H. N. p. 633): „Καισάρεια πρὸς Ἀργείῳ — sive Μητρόπολις", in titulo Graeco demum (C. I. Gr. 7287) „Caesarea Cappadociae." De imperatore, qui nominis Caesareae auctor fuerit, scriptores veteres valde dissentiunt. Constantinus Porphyrogenetus (l. c.) et Justinianus (Novell. 30) Julium Caesarem, Sextus Rufius (brev. 11) Augustum, Eutropius (7,11), Suidas (sub vocibus: „Tiberius" et „Caesarea"), Hieronymus (chron. II p. 147, Schoene) Tiberium, Sozomenus (hist. eccles. V 4) vel Claudium Mazacam vocasse „Caesaream" referunt. De Claudio omnino cogitari non debet, quoniam „Caesarea" nomen iam in Tiberii nummis occurrat. Verisimillimum mihi Tiberium fuisse nominis „Caesareae" auctorem esse videtur; primum, quod tres satis graves auctores idem referunt, deinde, quia inde a Tiberii temporibus multi imperiales nummi exstant, in quibus oppidum „Caesarea" audit, tum, quia Suidas expressis verbis Tiberium, Cappadocia provincia facta, anno 17 Mazacam nominasse „Caesaream" refert atque consentit cum Hieronymo, qui quidem anno 20 demum Mazacam illud nomen accepisse narrat. Oppidum ex anno 17 apud Romanos semper „Caesarea" audiebat; hodie etiam nomen „Kaisarieh" usurpatur.

Armenia Minor.

105. Caesarea.

Apud Plinium (VI 21) in Armenia Minore „Caesarea“ commemoratur, de qua alibi nihil refertur. Haud scio an illud oppidum a Tiberio anno 17 item ac Mazaca „Caesareae“ nomen acceperit; Armenia Minor enim pars Cappadociae erat. Sine dubio oppidum exigui momenti erat, cum Plinio excepto nusquam occurrat.

Cilicia.

106. Germanicopolis Hadriana.

Germanicopolis, Isauriae urbs, quae a Claudiopoli in occasum vergebat et prope Calycadnum sita erat, commemoratur apud Hieroclem (710), Georgium Cyprium (846, 1617), Constantinum Porphyrogennetum (de them. I 13), in notitia episcopatuum (X 799, I 846, III 741), demum in nummo Hadriani (Head, H. N. p. 603), in quo oppidum audit: „Hadriana Germanicopolis“ ita, ut Hadrianus oppido, fortasse beneficiis aucto, cognomen sollemne „Hadrianae“ imposuisse videatur. Germanicopolis nomen ad Germanicum, Drusi filium, pertinere videtur, qui intra annos 17—19 p. Chr. n. in orientali parte versabatur; cuius in honorem in Bithynia Paphlogoniaque item duo oppida nomen Germanicopolim accepisse vidimus.

Syria et Palaestina.

107. Tiberias = Tabarie.

Tiberias, occidentali in litore Genesarae lacus sita, ab Herode Antipatro anno 20 p. Chr. n. condita esse videtur; quo anno aera oppidi incipit. Eusebius autem (chron. II p. 148, Schoene) anno 27 una cum Liviade Tiberiadem esse conditam refert. Cum Eusebius de annis, quibus Palaestinae urbes nova nomina acceperint, saepissime erraverit atque cum Liviadem quoque anno 27 conditam non esse ostenderim, Tiberiadem item non anno 27 sed anno 20 esse conditam probabile est. Oppidum commemoratur apud Plinium (V 71), Ptolemaeum (VIII 20,16), Josephum (ant. 18, 36, 38; bell. Jud. 2,168), Stephanum Byzantium, Eusebium (l. c.), Epiphanium (advers. haeres. I 11), Procopium (de aedif. V 9), Hieroclem (720), Georgium Cyprium (1036), in notitia episcopatuum (V 117), in itineribus Hierocolymitanis (p. 131,15; 137,18, saepius, Geyer), demum in nummis ex Claudio usque ad Hadrianum (Head H. N. p. 677). Nomen Tiberias igitur ex anno 20 semper volgare erat indeque hodiernum nomen „Tabarie“ evasit.

C. Caesar Germanicus Caligula 37—41 p. Chr. n.

A. Coloniae a Caligula deductae non sunt, quantum scimus.

B. Cetera oppida, quae ex Caligula nominata sunt.

Commagene.

108. Germanicia Caesarea.

Germanicia, in Commagene sita, commemoratur apud Ptolemaeum (V 15,10), Stephanum Byzantium, Theodoretum (II 25), Hieroclem (713), Georgium Cyprium (876), in notitia dignitatum (or. IX 34), in itinerario Antonini (184, 186, 188), in itineribus Hierosolymitanis (p. 149,15, Geyer), in patrum Nicaenorum nominibus (V 55, III 55, alibi, Gelzer), in nummis demum ex Hadriano usque ad Valerianum (Eckhel III p. 250). Aera oppidi ducenda est ab anno 38, quo Caligula Antiocho IV paternum regnum reddidit. Tum igitur oppidum in Caligulae honorem „Caesarea Germanicia" nominatum est, quod sollemne nomen non nisi in nummis occurrit, cum volgare nomen esset etiam sexto saeculo modo: „Germanicia."

Africa.

109. Germaniciana.

In itinerario Antonini (p. 55) inter Aquas Regias et Thysdrum „Germaniciana" occurrit, quod oppidum etiam anno 255 in actis conciliorum (Harduin I 170 E) commemoratur. Nomen Germaniciana, quippe quod „Germaniciae" simillimum sit, ad Caligulam videtur pertinere atque tertio saeculo etiam usurpabatur.

Claudius 41—54.

A. Coloniae, quae ex Claudio (Agrippina) sollemnia cognomina acceperunt.

Germania Inferior.

99. Colonia Claudia Augusta Ara Agrippinensis = Coeln.

Anno 37 a. Chr. n. Ubii in sinistra ripa Rheni collocati erant (Tacit. ann. XII 27, Strabo p. 194), quorum caput tunc: „oppidum" — vel: „civitas Ubiorum" audiebat (Tacit. anno I 35; Dio

39, 48); qua in civitate Agrippina, Claudii Caesaris uxor, nata erat. Anno 51 p. Chr. n. Agrippina a Claudio petivit, ut in oppidum natale suum colonia deduceretur (Tacit. ann. XII 27); qua colonia deducta oppidum in Agrippinae honorem nominatum est: „col. Claudia Augusta Ara Agrippinensium“ (C. I. L. IX 1584, XI V208). Apud auctores oppidum vocatur aut „colonia Agrippina“ (apud Tacitum: ann. XII 27, hist. I 57; in itinerario Antonini p. 254, 370, 375, 376; in titulis: Orelli 876, 1108) aut „colonia Agrippinensis“ (apud Tacitum: hist IV 31; in titulo: Orelli 3381; in nummis: Mionnet I p. 83), aut modo „Agrippinensis“ (apud Ptolemaeum, II 9,15 et in not. dign. Gall. VIII 2) vel „Agrippina“ (apud Ammianum, 15,8,11; 16,3; 18,24; Eutropium 8,2; Orosium 7,11; in itinerario Antonini p. 372; in tabula Peutingeriana; apud Zosimum I 38). Quibus ex testimoniis oppidum primo atque altero saeculo fere semper „coloniam Agrippinensem“ seu modo „Agrippinensem“ audivisse apparet; ex quarto usque ad sextum saeculum autem nomen „Agrippina“ usitatius erat. Gregorius Turonensis, qui oppidum pervarie („col. Agrippinensem“, „civitatem Agrippinam“, „civitatem Coloniam“, „civitatem Coloniensem“) vocat, suo tempore solum nomen „Coloniam“ usu receptum esse refert, unde hodiernum nomen „Coeln“ exortum est.

Dalmatia.

100. Aequum = col. Claudia Aequum.

Aequum a Ptolemaeo (II 17,11) inter Delminium et Salonas oppida coloniae loco commemoratur atque in itinerario Antonini (p. 209) XXI milibus passuum a Salonis distare dicitur. Oppidum in compluribus titulis (C. I. L. III 1323, 1108, 1596, 4376, 8721, 9758, 9771, 9783) audit „col. Claudia Aequum“ sive „colonia Aquensis“; in uno titulo (2206) vel: „colonia Aequitatis.“ Quo anno colonia a Claudio deducta sit, non constat; volgare nomen oppidi erat modo „Aequum.“

Pannonia.

101. Savaria = col. Claudia Savaria.

Savaria, quae a Carnuto in meridiem vergebat, in laterculis Latinis atque alibi apud Romanos semper „Sabaria“ vocatur, cum apud Ptolemaeum (II 16,1) et in titulis nomen „Savaria“ exstet, quae igitur recta nominis forma est. Plinius (III 146) Savariam divi Claudii coloniam dicit atque in titulis saepius legimus: „col. Claudia Savaria“ aut modo „col. Savaria“ (C. I. L. III 4070, 4153, 4154, 4156, 4183). Quo tempore Claudius illam coloniam

deduxerit, nescimus; Savariam in tribu Claudia esse censitam ex compluribus titulis apparet (Brambach C. I. Rh. 1091, 1143, 1752).

Thracia.

102. Apri (Apros) = col. Claudia Aprensis

Apri vel Apros oppidum, quod prope Ergini et Hebri confluentes situm erat, apud multos auctores aut per formam „Apri", aut per „Apros" commemoratur, quarum utraque usitata erat. Plinius (IV 47) et Ptolemaeus (III 11,13) oppidum fuisse coloniam testantur atque in uno titulo, Alexandriae Troadis reperto, „colonia Claudia Aprensis" (C. I. L. III 386) occurrit. Colonia certe exigui momenti erat, cum unus lapis eius mentionem faciat

Syria et Palaestina.

103. Ace Ptolemais = col. Claudia Neronia Ptolemais.

Ace Ptolemais oppidum, inter Tyrum et Caesaream in ora maritima situm, quod anno 266 a. Chr. n. a Ptolemaeo Philadelpho nomen „Ptolemaidis" accepit, sub Claudio colonia facta est; apud Plinium (V 75) enim: „Claudi Caesaris colonia" vocatur atque in nummis reperitur: „col. Claudia Ptolemais", vel in Neronis nummis: „col. Claudia Neronia Ptolemais." (Head H. N. p. 677). Coloniam non post annum 47 esse deductam ex nummo (Mionnet V p. 475,8) apparet, in quo legitur: „Claud. Caesar. Cos. IV Imp. XIII", quibus titulis Claudius anno 47 usus est, ut Eckhel[1]) ostendit. Nero coloniam auxit et cognomen „Neroniae" adiecit; post Neronem autem usque ad Saloninam in nummis oppidum modo: „col. Ptolemais" audit, ita ut cognomina „Claudia Neronia" non ita multo post intercidisse videantur.

B. Cetera oppida, quae ex Claudio nomen seu cognomen acceperunt.

Italia.

110. Claudiensium vicus.

In titulo, prope lacum Benacum reperto (C. I. L. V 3991), „Claudienses" occurrunt, qui ad pagum quendam „Claudium" pertinere videntur, de quo alibi nihil relatum est. Nomen sine dubio spectat ad imperatorem Claudium.

[1]) Doctrina Nummorum III p. 424.

Hispania Tarraconensis.

111. Claudionerium.

Claudionerium, quod Artabrorum in territorio prope Nerium promunturium situm erat, apud Ptolemaeum (II 6,22) in codicibus aut „Claudiomerium“ aut „Claudionerium“ audit; „Claudionerium“ autem recta forma esse videtur, cum Claudium ex se ipso et ex Nerio promunturio oppidum nominasse apertum sit. Oppidum, quod exiguum fuisse videtur, etiam altero saeculo illo nomine commemoratur; postea autem noniam occurrit.

Gallia.

112. Claudiomagus.

Claudiomagus, Biturigum et Turonum in confinio sita, apud Sulpicium Severum (Dialog. I 8) et Fortunatium (vita Maıtini III 270) commemoratur. Nomen, quod vico a Claudio impositum est, sexto saeculo etiam volgare erat.

Noricum.

113. Claudivium.

Claudivium, in septemtrionali parte Norici prope Trigisamum situm, apud Ptolemaeum (II 13,3) „Claudivium“, apud Plinium (III 146) autem „Claudia“ audit. Oppidum, quod in Claudii honorem conditum esse videtur, certe exigui momenti erat, cum post Ptolemaei aetatem non iam occurrat.

Bithynia.

114. Claudiopolis = Bithynium.

Bithynium, quod ab Heraclea Pontica in meridiem vergebat, apud Strabonem (p. 565), Plinium (V 149), Pausaniam (VII 9,7) ita audit. Claudius oppidum ex se nominavit „Claudiopolim“, quodr nomen occurrit apud Ptolemaeum (V 1,14), Dionem (69,11,2), Hieroclem (694), Georgium Cyprium (1129), Constantinum Porphyogennetum (de them. II 28,22), in itinerario Antonini (200), in notitia episcopatuum (II 19, X 19, alibi), in nummis inde a Claudio usque ad Hadrianum (Mionnet II p. 417). Sub Hadriano, qui oppidum, ubi Antinous natus erat, honoribus auxit, Claudiopolis sollemne cognomen „Hadrianae“ accepit, quod in nummis praeter vetus nomen „Bithynium“ ex Hadriano usque ad Gallienum occurrit. Volgare nomen oppidi autem ex Claudii aetate erat: „Claudiopolis“, quod etiam decimo saeculo occurrit.

Paphlagonia.

115. N e o c a u d i o p o l i s = A n d r a p a.

Andrapa, in provincia Helenoponto prope Pompeiopolim sita, apud solum Ptolemaeum (V 4,6) „Neoclaudiopolis“ nominatur. Ramsay[1]) oppidum Neoclaudiopolim cum Claudiopoli Galatiae componit, sed iniuria, cum Ptolemaeus expressis verbis alterum oppidum Trocmis, alterum Paphlagoniae tribuat; praeterea in nummis ex Antonino usque ad Caracallam (Head H. N. p. 433) „Neoclaudiopolis“ occurrit. Oppidum ex Claudii aetate primo atque altero saeculis certe ita audiebat; tertio autem paulatim vetus nomen „Andrapa“ rursus usu recipiebatur, quod decimo saeculo etiam usurpabatur.

Galatia.

116. C l a u d i o p o l i s.

Apud solum Ptolemaeum (V 4,9) in Galatia „Claudiopolis“ commemoratur, quae Trocmorum in territorio inter Lascoriam et Carissam sita erat atque cum Neoclaudiopoli confundi non debet Sine dubio Claudius alicui oppido Trocmorum nomen „Claudiopolim“ imposuit, quod altero saeculo etiam usitatum erat.

Cappadocia.

117. C l a u d i o p o l i s = C l a u d i a s.

Claudias, quae in dextra ripa Euphratis intra Melitenen et Barzalonem oppida sita erat[2]), apud Plinium (V 85) audit: „Claudiopolis“, apud Ptolemaeum (V 7,9): „Claudias“, in tabula Peutingeriana: „Glaudia“, in notitia dignitatum (or. XXXIII, 33): „Claudiana“, apud Ammianum (XVIII 7,10): „Laudias“ (corrupte pro Cl.) atque apud Syros scriptores decimi et undecimi saeculi saepius nomine „Claudiadis“ commemoratur, ita ut nomen „Claudias“, quod oppido a Claudio impositum est, numquam intercidisse videatur.

Lycaonia.

118. C l a u d i o d e r b e = D e r b e.

Derbe, Lycaoniae oppidum, apud chorographos semper ita audit; in nummis autem Veri et Faustinae (Head H. N. p. 595)

---

[1]) Asia Minor p. 447.
[2]) Ramsay, Asia Minor p. 71, 302.

reperimus: „Claud. Derbe", id est „Claudioderbe." Sub Claudio imperatore igitur oppidum, beneficiis auctum, sollemne illud nomen sibi imposuit, quod satis diu usurpatum esse videtur.

119. Claudiolaodicea = Laodicea.

Laodicea Combusta, quae ab Iconio in septemtrionem vergebat, apud auctores semper ita audit. In nummis autem Flaviorum (Head H. N. p. 596) reperitur: „Claudiolaodicea", ita, ut oppidum, a Claudio privilegio auctum, sibi illud cognomen imposuisse videatur. Sub Maximino demum Laodicea colonia facta est atque in nummis (Head l. c.) illius audit: „col. Jul. Auspicata Claudiolaodicea." Sollemne illud nomen „Claudiolaodicea" igitur tertio saeculo etiam usurpabatur.

Pisidia.

120. Claudioseleucia = Seleucia.

Seleucia, ad Taurum septemtrionali in parte Pisidiae sita, in nummis ab Hadriano usque ad Claudium Gothicum nominatur: „Claudioseleucia" (Head H. N. p. 592). A Claudio igitur oppidum beneficio auctum esse videtur atque in illius honorem illud sollemne nomen sibi imposuit, quod tertio saeculo etiam usurpabatur.

Cilicia.

121. Claudiopolis = Ninica?

Claudiopolis, in Isauria ad Calycadnum sita, fortasse commemoratur apud Ptolemaeum (V 7,7) inter Cybistram et Mopsuerenen oppida. Ptolemaeus illa oppida false Cataoniae tribuit, quae ad Ciliciam pertinent, atque in Cilicia pro „Claudiopolis" vetus nomen „Ninicam" (V 8,6) affert. Oppidum praeterea occurrit apud Ammianum (XIV 8,2), Hieroclem (709), Georgium Cyprium (844), in notitiis episcopatuum (III 734, X 792), in patrum Nicaenorum nominibus (V 171, III 173, alibi). Antiochus, IV Commagenes rex, qui anno 41 satis magnam partem Ciliciae a Claudio accepit, oppidum in Claudii honorem „Claudiopolim" nominasse videtur, quod nomen inde apud Romanos semper volgare erat. Haud scio an non Claudius, ut Ammianus (l. c.) refert, coloniam eo deduxerit. Potius Augustus Ninicam[1]) „coloniam Juliam Augustam Felicem" deduxisse videtur, cui oppido anno 41 nomen „Claudiopolis" impositum est. Neque enim Ninica et Claudiopolis diversa

[1]) Ramsay, Asia Minor p. 370.

oppida fuisse videntur, ut ex Ammiani et nummorum testimonio apparet; utrumque oppidum enim, in Isauria prope Calycadnum situm, „Claudiopolis“ audiebat atque in utrumque colonia deducta est. Ninica igitur fortasse anno 41 „Claudiopolis“ nominata est indeque paulatim vetus nomen intercidit, quo Ptolemaeus (V 8,6) etiam utitur.

Numidia.

122. Claudis (Claudium)?

In itinerario Antonini (p. 33) inter Masculam et Thamugadem oppida occurrit „Claudi“, quae forma fortasse in „Claudis“ seu „Claudium“ supplenda est. Oppidum de quo alibi nihil refertur, sine dubio a Claudio imperatore conditum est et tertio saeculo etiam ita audiebat.

Nero 54—68.

A. Coloniae, quae ex Nerone sollemnia cognomina acceperunt.

Puteoli colonia, a Nerone aucta, „Neronensis“ cognomen accepit (Cap. II A 66).

Ptolemais, colonia Claudia, quae a Nerone aucta est, „Neroniae“ cognomen accepit. (Cap. III A 103).

B. Cetera oppida, quae ex Nerone nominata vel cognominata sunt.

Italia.

123. Neronia.

Neronia oppidum, quod tantum in tabula Peutingeriana (IV) occurrit, sine dubio, inter Ravennam et Hadriam oppida situm, non multo a Volano flumine aberat. Nomen Neronia, quod certe ad Neronem imperatorem pertinet, tertio saeculo etiam usurpabatur.

Gallia Narbonensis.

124. Forum Neronis = Carpentoracte.

Apud Ptolemaeum (II 10,16) Meminorum caput, quod Plinius „Carpentoracte“ nominat (III 36): „Forum Neronis“ vocatur, quod nomen non nisi ad Neronem pertinere potest, cum Galliae later-

culi, quos Plinius secutus est, intra annos 27 a. Chr. n. — 37 p. Chr. n. conscripti sint[1]). Oppidum, quod altero saeculo certe etiam „Forum Neronis" audiebat, postea vetus nomen rursus recepit, quod in notitia Galliarum (XI 12) occurrit.

Cilicia.

125. Neronias = Irenopolis.

Irenopolis, Ciliciae Campestris oppidum, prope Anazarbum intra Sarum et Pyramum flumina situm erat[2]) atque ab Irenopoli Isauriae discernendum est. Oppidum ita audit apud Ptolemaeum (V 8,6), Hieroclem (705), in notitiis episcopatuum (I 822), in notitia dignitatum (or. XI 24), demum in nummis ex Domitiano usque ad Gallienum (Head p. 603), ex quibus aeram oppidi anno 52 p. Chr. n. incipere apparet. Nero „Irenopoli" nomen „Neroniadis" imposuit, quod occurrit apud Theodoretum (hist. eccles. I 7), Socratem (hist. eccles. II 26), in patrum Nicaenorum nominibus (V 84, III 84, VIII 85, alibi); apud Theodoretum autem atque in patrum Nicaenorum nominibus (V 92, I 94) utrumque nomen et „Irenopolis" et „Neronias" reperitur. Oppidum anno 52 ab Antiocho IV, qui anno 41 illam partem Ciliciae acceperat, conditum esse videtur, cum Clitas, agrestem Cilicum nationem, quae ex Tauro in loca planiora incursiones fecerat (Tacitus, ann. XII 55) compulisset. Paulo post oppidum sub Nerone nomen „Neroniadem" accepit, quod autem altero saeculo non iam volgare erat atque raro apud christianos historiographos occurrit. Usitatum nomen oppidi, fortasse iam post Neronis mortem, erat „Irenopolis", quod etiam sexto saeculo occurrit.

Armenia.

126. Neronia = Artaxata.

Artaxata, ad Araxem sita, quae anno 58 a Corbulone combusta erat, a Tiridate anno 66, rursus aedificata, in Neronis honorem „Neronia" nominata est (Dio LXIII 7). Quod nomen usu receptum esse non videtur, cum apud Plinium (V 126), Tacitum (ann. XII 50, XIII 41), Ammianum (25, 7, 12) modo nomen „Artaxata" occurrat.

Caesarea Paneas sub Nerone per aliquot annos „Neronias" audiebat (Joseph. ant. XX 211, Head, p. 664).

---

1) O. Cuntz, Jahrb. f. Philol. Suppl. XVII p. 523.
2) Ramsay, Asia Minor p. 365, tab. p. 331.

Flavius Vespasianus 69-79.

A. Coloniae, quae ex Vespasiano sollemnia cognomina acceperunt.

Italia.

104. Sinuessa = col. Flavia Sinuessa.

Sinuessa, Campaniae oppidum, quod anno 296 civium colonia facta erat (Liv. X 21, Vellei. I 14), postea a quodam Flavio imperatore veteranis auctum est. In titulo enim (C. I. L. X 4735), ibi reperto, „colonia Flavia" occurrit atque in „coloniarum libro" (p. 237) oppidi agrum militibus in iugeribus esse assignatum refertur, quod ad illam Flaviam deductionem pertinere videtur. Quo ex tempore oppidum sollemniter audiebat „col. Flavia Sinuessa", quod nomen Severorum aetate certe etiam usurpabatur. Vespasianus, qui Nolam veteranos deduxit, Sinuessam coloniam quoque auxisse videtur.

Gallia Lugdunensis.

105. Colonia Flavia Forum Segusiavorum.

Forum Segusiavorum, ad Ligerum situm, a Luguduno in occidentem vergebat. Oppidum ita audit apud Ptolemaeum (II 8,14), in tabula Peutingeriana, apud Ravennatem (IV 26), in miliario quodam (C. I. L. XIII 1640), cum in aliis titulis (l. c., 1629, 1632, 1645, 1646) modo: „civitas Segusiavorum" dicatur. In miliario Traiani (C. I L. XIII p. 221) autem „colonia Flavia Forum Segusiavorum" occurrit A Vespasiano igitur fortasse bello Batavo confecto in civitatem Segusiavorum colonia deducta est, cui sollemne nomen: „Flaviam Forum Segusiavorum" imposuit, quod certe sub Traiano etiam usurpabatur. Postea autem oppidum coloniae iure privatum est atque civitas libera evasit, ut apparet ex miliariis a. 237 et a. 250 (C. I. L. XIII l. c.). Iam Ptolemaeus Forum Segusiavorum coloniam non dicit.

Germania Superior.

106. Noviomagus = col. Flavia Nemetum = Speyer.

Noviomagus, Nemetum caput, quod sinistra in ripa Rheni situm erat, ita audit apud Ptolemaeum (II 9,17), in itinerario Antonini (p. 253, 355, 374), in tabula Peutingeriana. Vespasianus

fere anno 71, bello Batavo confecto, coloniam eo deduxisse videtur, quam nominavit „Flaviam Nemetum" (Brambach C. I. Rh. 1948, 1950, 1951). Volgare nomen oppidi usque ad quartum saeculum erat „Noviomagus" indeque aut „Nemetae" (Ammianus XV 11, XVI 2) aut „civitas Nemetum" (not. dign. oc. XLI 6; not. Gall. VII 4). Iam septimo saeculo autem apud Ravennatem (IV 26), posterius nomen „Spira" occurrit, unde hodiernum „Speyer" evasit.

Belgica.

107. Aventicum = col. Pia Flavia Constans Emerita Helvetiorum.

Aventicum, Helvetiorum oppidum, quod apud auctores (Tacit. hist. I 68; itin. Antonin. p. 352; tabula Peuting.) ita audit, in titulis (Inscript. Helv. 173, 176, 179) nominatur: „col. Pia Flavia Constans Emerita Helvetiorum", seu modo: „colonia Helvetiorum." Aventicum non, ut Th. Mommsen [1]) censet, fuisse coloniam Latinam Otto Hirschfeld [2]) atque E. Kornemann [3]) demonstraverunt. Quod in chronico Fredegari, quod dicitur (II 36), Aventicum a Vespasiano esse aedificatum narratur, illud ad Taciti verba non quadrat, qui (l. c.) oppidum iam a. a. 69 commemorat. Ad deductionem coloniae, a Vespasiano factam, igitur illa verba Fredegari pertinere videntur, ex quibus post Batavum bellum confectum a Vespasiano Aventicum coloniam esse factum apparet.

Pannonia Superior.

108. Siscia = col. Flavia Septimia Siscia Augusta.

Siscia, ad Savum sita, apud Plinium (III 147) colonia dicitur atque in titulis (C. I. L. III 3936, 3951, 3961, 3973, 3974, 3976, 4171, 4193, 6011, 10836, 10857; Brambach C. I. Rh. 464) aut: „col. Flavia Siscia" aut: „col. Septimia Siscia Augusta" et in nummis (Eckhel VII p. 410) Gallieni atque Probi: „Siscia Augusta", vel „Siscia Probi Augusta" vocatur. Prima deductio non ab Augusto, ut Otto Cuntz [4]) et A. Zumpt [5]) censent, sed a Vespasiano facta est, ut tituli docent. Tum castra stativa, a Siscia sublata, ad Isterum conversa sunt atque castrorum canabis coloniae

---

1) Hermes XVI p. 472, XIX p. 70.
2) Sitz. Ber. der Wiener Academ. 1883 p 319.
3) Zur Stadtentstehung, p. 43.
4) Jahrb. f. Philol. Suppl. XVII p. 517.
5) Comment. epigr. p. 374.

ius datum est. Cum Plinius Sisciam coloniam una cum Emona, Augusti colonia, afferat, ille locus ab eo ad Agrippae laterculos Pannoniae adiectus esse videtur, ut saepius factum est. Septimius Severus coloniae, a se auctae, cognomen „Septimiae“ imposuit, quod multo saepius, quam „Flavia“ cognomen occurrit. A Gallieno autem colonia cognomen „Augustae“ videtur accepisse, cum in duobus titulis (l. c. III 3973, 3976) solum „Septimia“ cognomen reperiatur atque in Gallieni nummis rursus colonia „Siscia Augusta“ vocetur. Accedit, quod ordo nominum: „Septimiae Sisciae Augustae“ utrumque cognomen non ad eundem imperatorem spectare indicat. Ex Gallieno igitur oppidum sollemniter audiebat: „col. Septimia Siscia Augusta“, vel modo „Siscia Augusta“, cum „Flavia“ cognomen interciderit.

Thracia.

190. Deultus = col. Flavia Pacensis Deultus.

Deultus, prope Pontum Euxinum sita, apud Plinium (IV 45) colonia Deultum veteranorum“, apud Ptolemaeum (III 11,11): „Develtus colonia“, apud Ammianum (31,8): „Dibaltum“, apud Ravennatem (IV 6): „Debellion“, in itinerario Antonini (p. 229): „Debelcum“ nominatur. Recta forma nominis scil. „Deultus“, apud Plinium occurrit atque in nummis (Eckhel II p. 32: Vaillant I p. 148), ubi oppidum audit: „col. Flavia Pacensis Deultus.“ Colonia veteranorum, a Vespasiano post pacem quamvis (ut docet nomen „Pacensis“) factam, eo deducta est; in nummis (Vaillant II p. 155) signa militaria occurrunt.

B. Cetera oppida, quae ex Vespasiano nomen seu cognomen acceperunt.

„Flavia“ cognomen, quod multis Gallaeciae et Asturiae oppidis impositum est, semper ad Vespasianum pertinere videtur, quoniam Flaviobriga quoque, quae apud Plinium (IV 110) etiam commemoratur, a Vespasiano condita sit. Item Vespasianus nonnullis Asiae Minoris oppidis nomen „Flaviopolim“ imposuit; Domitianus et Titus non multa oppida ex se videntur nominasse.

Hispania Tarraconensis.

127. Flaviobriga.

Flaviobriga, septemtrionali in litore provinciae Tarraconensis sita, quae a Plinio coloniae loco commemoratur, praeterea occurrit

apud Ptolemaeum (II 6,7) atque fortasse in titulo (C. I. L. II 5752). Flaviobriga, quippe quae apud Plinium etiam commemoretur, a Vespasiano coloniae loco condita est, qui illa in parte Tarraconensis provinciae multa oppida condidit, seu beneficiis auxit. Oppidum, quod prius „Amanum portus" audiebat, exigui momenti fuisse videtur, cum post Ptolemaeum nullus auctor illius mentionem faciat.

128. Flavium Brigantium.

Brigantium, Gallaecorum in territorio in ora maritima situm, ita audit apud Dionem (37,53), Orosium (II 2), in itinerario Antonini (p. 424); Ptolemaeus autem (II 6,4) oppidum vocat: „Flavium Brigantium". Beneficio igitur a Vespasiano auctum, oppidum in illius honorem „Flavium" cognomen sibi imposuit, quod altero saeculo etiam volgare erat, tertio autem intercidit.

129. Flavia Lambris.

Ptolemaeus (II 6,26) Baedyorum in territorio „Flaviam-Lambrim" commemorat, quae componenda esse videtur cum Lambrica, quod oppidum Mela (III 1,8) affert; oppidum, quod inter „Bracaram Augustam" et „Lucum Augusti" situm erat, „Flaviae" cognomen sibi imposuit in honorem Vespasiani, qui incolis privilegium quoddam donasse videtur.

130. Iria Flavia.

Iria, quae a Flavia Lambri paulo in orientem vergebat, in itinerario Antonini (p. 430) false: „Pria", apud Ravennatem (IV 45) et in aliquo titulo (Gruter. p. 305): „Iria", apud Ptolemaeum (II 6,24) autem „Iria Flavia" audit, ita ut idem atque de „Flavio Brigantio" statuendum sit; „Flavia" cognomen tertio saeculo iam interciderat.

131. Interammium Flavium.

Interammium, prope Asturicam Augustam situm, apud Ptolemaeum (II 6,29) et in itinerario Antonini (p. 429, 431) audit: „Flavium Interamnium." Flavium cognomen igitur, quod oppidum in honorem Vespasiani assumpsit, tertio saeculo etiam usurpabatur; quo tempore illud cognomen interciderit ignoro, cum oppidum perraro occurrat.

132. Flavium Bergidum.

Bergidum, quod ab Interamnia in occidentem vergebat, apud Ptolemaeum (II 6,29): „Flavium Bergidum". in itinerario Antonini

(p. 429, 431) autem modo: „Bergidum“ audit. Oppidum sub Vespasiano „Flavium“ cognomen accepit, quod tertio saeculo iam interciderat, cum Hadriano imperante etiam usitatum esset.

133. Flavia Augusta.

In titulo, Tarracone in oppido reperto (C. I. L. II 4196), flamen „Flaviaugustanus“ occurrit, qui ad oppidum quoddam „Flaviam Augustam“ pertinere videtur, cuius de situ nihil constat; „Flavia Augusta“ septemtrionali vel occidentali in parte provinciae Tarraconensis a Vespasiano condita esse videtur.

134. Flavionavia.

Flavionavia, Asturiae oppidum, quod in ora maritima situm erat, apud solum Ptolemaeum (II 6,5) commemoratur. Oppidum, quippe quod prope Naviam portum situm fuerit a Vespasiano ex se et illo portu nominatum esse videtur: „Flavionavia“, quod nomen altero saeculo etiam volgare erat. Sine dubio oppidum satis parvum erat.

135. Gallica Flavia.

„Gallicum“ inter Caesaraugustam et Oscam situm, quod in itinerario Antonini (p. 451) commemoratur, apud Ptolemaeum (II 6,68) audit: „Gallica Flavia“, ita ut oppidum, a Vespasiano beneficiis auctum, „Flaviae“ cognomen accepisse videatur, quod tertio saeculo interciderat.

Noricum.

136. Flavia Solva.

Solva, quae prope Virunum sita fuisse videtur, apud Plinium (III 146) et in titulis (C. I. L. III 1615, 5331, 5341, 5457, 5516) „Flavia Solva“ audit, quod cognomen oppidum a Vespasiano accepit. Postea, sub Hadriano, qui eo coloniam deduxit, oppidum „Aelia Solva“ vocatum est atque „Flavia“ cognomen intercidit.

Thracia.

137. Flaviopolis.

Plinius (IV 47) prope Selymbriam, in regione Caenica, „eo loco, quo prius Cela oppidum vocaretur“, Flaviopolim commemorat, quae apud Solinum quoque (c. 10) et in nummo Titi [1]) occurrit.

---

[1]) A. Zumpt. Comment. epigr. p. 396.

Vespasianus igitur Celae oppido „Flaviopolim“ nomen imposuit, fortasse una cum deductione coloniae. Quamdiu oppidum ita audiverit, pro certo explorari nequit, cum Solinus Plinii laterculis usus sit.

Bithynia.

138. Flaviopolis = Cratia.

Cratia, quae a Claudiopoli in orientem vergebat, in itinerario Antonini (p. 200), apud Hieroclem (695), Georgium Cyprium (264, 1398), in notitiis episcopatuum (X 336, XIII 196) ita audit, cum Ptolemaeus (V 1,14 praeter Cratiam etiam nomen „Flaviopolim“ afferat et in nummis ex Antonino usque ad Gallienum (Head H. N. p. 440) oppidum item „Cratia-Flaviopolis“ vocetur. Vespasianus igitur Cratiae cognomen „Flaviopolis“ imposuit, quod sollemniter tertio saeculo etiam praeter vetus nomen usurpabatur, postea autem prorsus intercidit. „Flaviopolis“ nomen semper ad Vespasianum pertinere videtur, cum Flaviopolim et Thraciae et Ciliciae a Vespasiano conditas esse constet.

Lydia.

139. Philadelphia = Flavia Philadelphia.

Philadelphia, quae a Sardibus in orientem vergebat, ab Attalo Philadelpho condita est. Vespasianus seu Domitianus oppidum privilegiis donavit; itaque in nummis ex Domitiano usque ad Valerianum „Flavia“ cognomen reperitur (Head H. N, p. 552).

Phrygia.

140. Flaviopolis = Temenothyrae.

Temenothyrae oppidum, quod in Phrygia Pacatiana situm, ab Ancyra in orientem et in meridiem vergebat, ita audit apud Hieroclem (668) et in notitiis episcopatuum (I 364, VIII 415, IX 325). In nummis autem (Head H. N. p. 569) oppidum ex Hadriano usque ud Saloninam vocatur: „Flaviopolis Temenothyrae“. Vespasianus igitur Temenothyris oppido[1]) „Flaviopolis“ cognomen imposuit, quod tantum sollemniter usurpatum esse videtur (Le Bas-Waddington 727).

---

[1]) Ramsay, Asia Minor p. 148.

Cilicia.

141. Flaviopolis = Flavias.

Ptolemaeus (V 8,6) Flaviopolim, in Characine, occidentali in parte Ciliciae, sitam, affert; in nummis quoque ex Domitiano usque ad Valerianum (Head H. N. p. 602) „Flaviopolis“ Ciliciae occurit, in quibus aera oppidi ab anno 74 ducitur. Quae Flaviopolis componenda est cum „Flaviade“, quae in itinerario Antonini (p. 212) inter Praetorium et Anazarbum commemoratur atque praeterea occurrit in tabula Peutingeriana apud Hieroclem (706), Georgium Cyprium (823), in patrum Nicaenorum nominibus (I 88, II 87, saepius), alibi [1]. Anno 74 igitur, quo Vespasianus Ciliciam Tracheam cum provincia coniunxit (Sueton. Vesp. 8), ille imperator „Flaviopolim“, quae ab Anazarbo paulo in meridiem vergebat, condidit; oppidum inde fere usque ad annum 300 ita audiebat. Postea autem pro „Flaviopoli“ nomen „Flavias“ usu receptum est, quod sexto saeculo etiam usurpabatur. Ptolemaeus de situ oppidi errasse videtur, sed illum hoc oppidum in animo habuisse ex eo apparet, quod „Flavias“ apud illum non occurrit; deinde in Cilicia et Flaviadem et Flaviopolim oppida fuisse verisimile non est.

Commagene.

142. Samosata = Flavia Samosata.

Samosata, Commagenes caput, anno 71, quo aera oppidi incipit, „Flaviae“ cognomen accepit. Tum Commagene, Antiocho IV. regno privato, a Romanis administrari coepta est (Sueton, Vesp. 8; Eutrop. 7,19). In nummis oppidum ex Hadriano usque ad Decium (Head H. N. p. 653) audit: „Flavia Samosata Metropolis Commagenes.“

Syria.

143. Sura = Firma Flavia Sura.

Sura, ad Euphratem sita, ita audit apud Plinium (V 89), Ptolemaeum (V 15, 25), in tabula Peutingeriana. In notitia dignitatum (or. XXXIII 28) autem reperitur: „Firma Flavia Sura“, quae cognomina oppido fortasse a Vespasiano, qui Suram munivisse videtur, imposita sunt.

---

[1]) Ramsay, Asia Minor p. 385.

Titus Flavius 79—81.

A. Coloniae a Tito deductae vel auctae esse non videntur.

B. Cetera oppida, quae ex Tito nominata sunt.

Palaestina.

144. Neapolis = Flavia Neapolis.

Neapolis, Samariae oppidum, in nummis ex Tito usque ad Maximinum audit: „Flavia Neapolis"; aera oppidi anno 72 incipit (Mionnet VIII p. 344 sq.). Tunc igitur Neapolis in honorem Titi, qui oppidum beneficiis donavit, „Flaviae" cognomen sibi imposuit, quod tertio saecnlo etiam usurpabatur.

145. Joppa = Flavia Joppa.

Joppa, Hierosolymae portus, item atque Neapolis, fortasse anno 72 Hierosolyma expugnata in honorem Titi „Flaviae" cognomen assumpsisse videtur, quod in nummo Elagabali occurrit (Head H. N. p. 678), igitur tertio saeculo etiam adhibebatur.

Flavius Domitianus 81—96.

**A. Coloniae,
quae ex Domitiano sollemne cognomen acceperunt.**

Pannonia Inferior.

110. Sirmium = col. Flavia Sirmium.

Sirmium, ad Savum situm, a Plinio (III 148) „civitas Sirmiensium" vocatur, cum in titulis (C. I. L III 753, 3230, 3243, 3685, 6441, 6438, 3242) audiat: „col. Flavia Sirmium" vel modo „col. Sirmium." Colonia a Domitiano, certe post annum 79, eo deducta esse videtur, cum Plinius, qui Vespasiani coloniam Sisciam commemorat, Sirmium modo „civitatem" appellet; ita ut oppidum Plinio superstite nondum colonia fuisse videatur.

Moesia Superior.

111. Scupi = col. Flavia Aelia Scupi.

Scupi oppidum, ad Margum flumen situm, apud chorographos (Ptolemaeum III 9,6; Hieroclem 655, Ravennatem IV 15) ita audit; in titulis autem reperitur aut: „colonia Scupi" vel „—

Scuporum" (C. I. L. III 8189, 8194, 8197, 8203, 8204, 8206) aut: „col. Flavia Scupi" (C. I. L. VI 3205) aut: „col. Aelia Scupi" (C. I. L. VI 553). Cum Scupi apud Plinium omnino non commemoretur, Domitianum anno fere 90, Dacico bello confecto, eo veteranos (C. I. L. III 8195, 8197, 8199) deduxisse probabile est. Sine dubio colonia ab Hadriano seu ab Antonino Pio aucta est indeque „Aelia" vocata est.

Africa.

112. Ammaedara = col. Flavia Augusta Emerita Ammaedara.

Ammaedara, quae a Sicca Veneria in meridiem vergebat, apud Ptolemaeum (IV 3,30): „Amedara" vel „Ammaedara" atque apud Hyginum (de limit. const. p. 180, Lachmann) „Admedara" audit, cum in titulis (C. I. L. VIII 302, 308, 309): col. Flavia Augusta Emerita Ammaedara" vocetur. Hyginus quoque Ammaedaram fuisse coloniam testatur, cum Plinius oppidum omnino omiserit. Coloniam igitur certe post annum 79, fortasse anno 84/85 Britannicis Germanicisque bellis confectis a Domitiano deductam esse censeo. Re vera veterani Ammaedaram deducti sunt, ut cognomen „Emerita" indicat.

B. Cetera oppida, quae ex Domitiano nomen seu cognomen acceperunt.

Germania Superior.

146. Arae Flaviae.

Arae Flaviae oppidum, quod in via a Vindonissa Reginum ferente situm erat, commemoratur apud Ptolemaeum (II 11,30) et in tabula Peutingeriana (III). „Flaviae" cognomen ad Domitianum pertinere videtur, qui illis in regionibus intra annos 83—85 complura bella gessit. Oppidum certe tertio saeculo etiam ita audiebat.

Moesia Superior.

147. Flaviana.

In notitia dignitatum (or. XXXXI 3,13) Flaviana castellum occurrit, quod in Moesia Superiore ad Istrum prope Pincum et Cuppas oppida situm erat. Castellum anno fere 89 a Domitiano contra Dacos aedificatum esse videtur atque etiam quarto saeculo ita audiebat.

Moesia Inferior.

148. Flaviana.

In notitia dignitatum (or. XXXVIIII 3,20; oc. XXXIII, 45) alterum Flaviana castellum occurrit, quod sine dubio in Scythia Minore prope Capidavam et Cium oppida situm erat. Castellum, de quo alibi nihil refertur, fortasse a Domitiano anno 89, cum pacem fecisset cum Decebalo, aedificatum est atque quarto saeculo etiam ita vocabatur.

Phrygia.

149. Domitianopolis = Sala.

Sala, quae inter Philadelphiam et Tripolim oppida sita erat[1], in nummis ex Domitiano usque ad Herennium Etruscum (Head. H. N. p. 568): „Sala Domitianopolis" audit, cum apud chorographos (Ptolem. V. 2,26) solum „Sala" nomen occurrat. Sala igitur in honorem Domitiani, qui oppidum privilegio auxit, nomen „Domitianopolim" sibi imposuit, quod tantum publice adhibebatur.

Syria.

150. Chalcis ad Belum = Flavia Chalcis.

Chalcis, in Chalcidice ad Belum sita, apud Hieroclem (711), Georgium Cyprium (862), apud Ptolemaeum (V 15,18) ita audit. In nummis autem (Head H. N. p. 655), qui aeram oppidi anno 92 incipere docent, legitur: „Flavia Chalcis." Domitiani igitur in honorem, qui oppidum beneficiis donavit, Chalcis anno 92 „Flaviae" cognomen sibi imposuit, quod sub Commodo etiam in nummis occurrit.

Nerva 96—98.

A. Coloniae,
quae ex Nerva imperatore sollemnia cognomina acceperunt.

Italia.

113. Scylacium = col. Minervia Nervia Augusta Scylacium.

Scylacium oppidum, ut vocant Latini (Mela II 4, Plinius III 95) et Graeci auctores (Appianus V 109; Ptolemaeus III 1,11), in

[1]) Ramsay, Asia Minor p. 122.

sinu Scylacio situm erat. Scylacium anno 122, Gracchorum aetate, civium colonia factum est atque „Minerviae“ cognomen accepit (Velleius I 15,4). Nerva autem coloniam auxit et cognomina „Nerviae Augustae“ adiecit, quae in titulo anni 143, ibi reperto, (C. I. L. X 103) occurrunt; ibi forma „Scolacium“ exhibetur, quae apud auctores usitata non est.

Britannia.

114. Glevum = col. Nervia Glevum.

Glevum, ad Sabrinam flumen situm, apud Ravennatem (V 31) et in titulo Sulino (C. I. L. VII 54) „colonia“ dicitur, in itinerario Antonini (p. 485) autem modo: „Clevum“ vocatur. Cum in alio titulo (Muratori p. 872,4) legatur: „Ner . . . Glevum“, colonia a Nerva deducta et „Nervia“ nominata esse videtur. Multis enim in nummis oppidum sub Claudio, nulla coloniae mentione facta, occurrit, accedit, quod Tacitus (hist. XIV 31, Agric. 14) Camulodunum unicam esse Claudii coloniam, in Britanniam deductam, testatur.

Mauretania Caesariensis.

115. Sitifis = col. Nerviana Augusta Martialis Veteranorum Sitifensium.

Sitifis, in Mauretaniae et Numidiae confinio sita, apud Ptolemaeum (IV 2,34): „Σίτιφα κολωνία“, in itinerario Antonini (p. 24, 29, 33): „Sitifi“, in titulis (C. I. L. VIII 8465, 8468): „Sitifis“ vocatur, quae forma nominis igitur recta est. Nervam imperatorem Sitifim veteranorum coloniam deduxisse ex multis titulis apparet (C. I. L. VIII 8441, 8465, 8467, 8468, 8473, 10337, 10338, 10353, 10362), in quibus oppidum aut: „col. Nerviana Augusta Martialis Veteranorum Sitifensium“ aut: „colonia Nerviana Augusta Sitifensium“, aut modo: „colonia Sitifensium“, audit. Caracalla imperante Sitifis non iam colonia, sed res publica Nervianorum Antoninianorum vocatur (C. I. L. VIII 10340, 10341); ille imperator igitur oppido, coloniae iure privato, cognomen „Antoninianae“ imposuit, quod item atque „Nerviana“ non nisi soliemniter usurpabatur.

B. Cetera oppida ulla ex Nerva nominata non sunt.

M. Ulpius Traianus 98–117.

A. Coloniae, quae ex Traiano sollemnia cognomina acceperunt.

Germania Inferior.

116. Colonia Ulpia Traiana.

In titulo, prope Bonnam reperto, (Bonn. Jahrb. 80 p. 150; Korr. Bl. d. Westd. Zeitschr. V p. 11) colonia Ulpia Traiana occurrit, quae cum civitate Traianensium (C. I. L. VII 924) componenda esse videtur; „cives Traianenses“ quoque, qui in titulo Lugudunensi (C. I. L. XIII 1976) commemorantur, eo pertinent. Quam coloniam Ulpiam Traianam Cugernorum in territorio prope Castra Vetera ad Rhenum sitam fuisse apparet ex tabula Peutingeriana et ex itinerario Antonini (p. 370, 375), ubi oppidum „colonia Traiana“ audit. Colonia Ulpia Traiana praeterea in duobus aliis titulis (Brambach, C. I. Rh. 82, 213) occurrit. Prima cohors Cugernorum, quae in Britannia militabat, „Ulpia Traiana“ vocata est (C. I. L. VII 1195) atque in Britannico titulo (l. c. 924) miles ex civitate Traianensium commemoratur. Quibus de causis Traianum in civitatem Cugernorum coloniam deduxisse apparet, quam „Ulpiam Traianam“ vocavit. Volgare nomen oppidi erat „colonia Traiana“ seu „civitas Traianensium.“ Apud Ravennatem (IV 24) oppidum audit: „Troia“, quod nomen ex „Traiana“ corruptum esse videtur.

Panonia Superior.

117. Poetovio = col. Ulpia Traiana Poetovio.

Poetovio, ad Dravum sita, apud chorographos varie appellatur; apud Tacitum (hist. III 1) enim et in itinerario Antonini (p. 261, 262, 265) reperitur: „Poetovio“, in tabula Peutingeriana: „Petavio“, in itinerario Antonini (p. 129) alio loco: „Patavio“, apud Ammianum (XIV 11,19): „Petobio“, apud Ptolemaeum (II 14,4) „Ποτόβιον“ vel „Πατάουιον“. „Poetovio“ recta forma est, quippe quae in omnibus titulis exhibeatur. Traianus anno fere 107, Decebalo victo, Poetovionem veteranos legionis II deduxisse videtur, quo anno in Pannonia Moesiaque compluria castella et colonias condidit. Oppidum ex illo tempore sollemniter audiebat: „col. Ulpia Traiana Poetovio“ (C. I. L. III 260, 4057, 4022, 4038,

4050, 4067, 4068, 4101) vel modo: „col. Ulpia „Poetovio“, vel „Ulpia Poetovio“ (l. c. 753, 5427), cum volgare nomen esset modo „Poetovio“ vel tale quid.

Moesia Superior.

118. Ratiaria = col. Ulpia Ratiaria.

Ratiaria, ad dextram ripam Histri sita, apud auctores aut ita (itin. Antonin p. 219; Procop. de aedif. IV 6), aut „Raitiaria“ (Ptolemaeus III 9,4), aut „Razaria“ (Hierocles 655) audit. Anno fere 107, Decebalo devicto et Dacia provincia facta, Traianus canabis castrorum, quae Ratiariae ex Vespasiani aetate fuerant, tum autem in Daciam provinciam translata erant, ius coloniae dedit.[1]) In titulis enim oppidum aut: „col. Ratiaria“ (C. I. L. III 1641) aut: „col. Ulpia Ratiaria“ vocatur (l. c. 753, 6294, 6295); volgare nomen etiam sexto saeculo erat: „Razaria.“

Moesia Inferior.

119. Oescus = col. Ulpia Oescus.

Oescus, quae, ad dextram ripam Histri sita, a Ratiaria in orientem vergebat, apud Ptolemaeum (III 10,10), Aurelium Victorem (Caes. 41), in notitia dignitatum (or. XLII, 26, 33) ita audit, quae forma nominis etiam in titulis exhibetur. In tabula Peutingeriana autem reperitur: „Escus“ et apud Hieroclem (655): „Iscos.“ Traianus fere anno 107 canabris castrorum, quae usque ad Daciae expugnationem Oesci fuerant, ius coloniae dedit.[2]) In titulis enim oppidum aut: „col. Ulpia Oescus“ (C. I. L. III 753, 7429) aut: „Ulpia Oescus“ (l. c. 1624) aut: „col. Oescus“ (l. c. 6127, 7430, 7431) vocatur. Volgare nomen semper erat modo „Oescus“, vel sexto saeculo „Iscus.“

Dacia.

120. Sarmizegetusa = col. Ulpia Traiana Augusta Dacica Sarmizegetusa Metropolis.

Anno 110 Traianus, Decebalo Daciae rege victo, Sarmizegetusam, illius in regiam, quintam legionem Macedonicam deduxit (C. I. L. III 1443; Dio 68,9), ut ex titulo citato apparet, quo in conditae coloniae instrumento oppidum modo: „col. Dacica Sarmizegetusa“ audit. Ex Hadriani autem aetate in titulis reperitur: „col.

[1]) A. de Domaszewski, N. Heidelb. Jahrb. I p. 198.
[2]) A. de Domaszewski l. c.

Ulpia Traiana Augusta Dacica Sarmizegetusa" (C. I. L. III 1455, 1445, 1450, 1452, 1457—1459, alibi) atque ex Gordiano (anno 238) cognomen „Metropolis" accedit (l. c. 1375, 1456, 1495, 1497, 1506). Saepe „Augusta", alibi praeterea „Dacica", vel etiam „Ulpia Traiana" cognomina omittuntur. Anno 110 Traianus coloniae modo conditae solum cognomen „Dacicae" imposuisse videtur; postea autem, fortasse sub Hadriano anno 118, cognomina „Ulpia Traiana Augusta", ex quibus „Augusta" praecipue ad Hadrianum spectare videtur, adiecta sunt, ita ut oppidum ex Hadriano usque ad Caracallam audiret: „col. Ulpia Traiana Augusta Dacica Sarmizegetusa"; illo ex tempore oppidum in titulis saepe modo: „col. Sarmizegetusa", vel: „col. Sarmizegetusa Metropolis" audit.

Africa.

121. Hadrumetum = col. Concordia Ulpia Traiana Augusta Frugifera Hadrumetum.

Hadrumetum, in ora maritima situm, ita audit apud Ptolemaeum (IV 3,9) et in titulis optimae aetatis (C. I. L. VIII p. 14), cum apud ceteros auctores pervarie nominetur; „Hadrimetum", „Adrimetum", „Hadrymetum", „Hadramytus", „Hadramentus", similia inveniuntur. Apud Ptolemaeum (l. c.) et in duobus titulis (C. I. L. VIII 62, 2968) oppidum vocatur: „col. Hadrumetum" atque alibi: „Ulpia Hadrumetum" (Kellermann, Vig. 12) aut: „col. Concordia Ulpia Traiana Augusta Frugifera Hadrumetum" (C. I. L. VIII 11138). Hadrumetum, quod prius liberum oppidum fuerat (Plinius V 25), sub Traiano colonia factum est, qui eo fortasse legionem III (C. I. L. VIII 2968) deduxit. Cognomen „Frugifera" pertinet ad Africae provinciae ubertatem. Quae cognomina non omnia ita diu usurpata esse videntur, sed posteriore aetate modo „Concordia" et „Ulpia" cognomina sollemni in usu erant, quae etiam sub Gordiano occurrunt.

122. Leptis Magna = col. Ulpia Traiana Leptis Magna.

Leptis Magna, in Tripolitana ora sita, apud auctores semper ita audit, atque in Digestis (L 15,8) et in itinerario Antonini (p. 63) „colonia" vocatur. Sub Traiano Leptis Magna colonia facta est atque cognomina „Ulpiae Traianae" accepit, quae in titulo (C. I. L. VIII 10) occurrunt. Septimius Severus, seu filius eius coloniae ius Italicum donavit.

Numidia.

123. Thamugadi = col. Ulpia Marciana Traiana.

Thamugadi oppidum, quod a Cirta in meridiem vergebat, in itinerario Antonini (p 34, 35, 40) et in tabula Peutingeriana commemoratur. Anno 100 Munatius Gallus, Traiani legatus, coloniam eo deduxit (C. I. L. VIII 3255) indeque oppidum in titulis: „col. Marciana Traiana“ aut: „col. Ulpia“ audit (C. I. L. VI 1803, VIII 2355, 17843). Tria cognomina igitur, a se petita, Traianus coloniae imposuit, quod raro factum est. Pleraeque coloniae Traiani vocatae sunt: „Ulpiae Traianae“ vel modo: „Ulpiae“; „Marciana“ cognomen omnino perraro occurrit atque praeterea non nisi Edessae coloniae a M. Aurelio impositum est. Thamugadi in multis titulis (C. I. L. VIII 17841, 17844, 17845, alibi) modo „colonia“ dicitur, ita ut cognomina „Marciana Ulpia Traiana“ non admodum usitata fuisse videantur.

B. Cetera oppida, quae ex Traiano (Plotina) nomen vel cognomen acceperunt.

Italia.

151. Traiana.

Apud Ptolemaeum (III 1,52) in Piceno „Traiana“ oppidum commemoratur, quod a Firmo in septemtrionem vergebat et fortasse in ora maritima situm erat. Oppidum, quod ex Traiano nominatum est, satis exiguum fuisse videtur, cum Ptolemaeo excepto nusquam occurrat.

152. Traianus Portus.

Inter Telamonem et Populoniam oppida a Ptolemaeo (III 1,4) „Traianus Portus“ commemoratur, qui non cum Centumcellis, ut nonnulli viri docti censent, componendus est, sed contra Ilvam insulam situs erat.

Sardinia.

153. Forum Traiani.

„Forum Traiani“, quod ab Useli in septemtrionem vergebat, non nisi in itinerario Antonini (p. 82) occurrit. Oppidum quod in Traiani honorem ita nominatum est, etiam tertio saeculo illo nomine commemoratur

Dacia.

154. Castra Traiana.

In tabula Peutingeriana (VII) inter Arutelam et Burridavam „castra Traiana“ occurrunt, quae certe anno 106/107 Decebalo victo a Traiano aedificata sunt atque tertio saeculo etiam ita vocabantur.

155. Ulpianum.

Ulpianum, in septemtrionali parte Daciae situm, quod apud Ptolemaeum (III 8,7) commemoratur, sine dubio fere anno 107 a Traiano conditum est; quamdiu oppidum ita audiverit, ignoro.

Moesia Superior.

156. Ulpianum.

Alterum Ulpianum, quod in meridionali parte Moesiae Superioris situm erat, apud Ptolemaeum (III 9,6) et Hieroclem (656 Ulpiana) commemoratur; Traianus oppidum condidit atque ex se „Ulpianum“ vocavit, quod nomen usque ad Justinianum volgare erat, qui oppidum ex se „Justinianam Secundam“ nominavit. (Procop. de aedif. IV 1; bell. Gothic. IV 25).

Thracia.

157. Traianopolis.

Traianopolis, prope Hebri ostium sita, commemoratur apud Ptolemaeum (III 11, 13), Hieroclem (634), Georgium Cyprium (36, 500, 1680), Procopium (de aedif. IV 11), Constantinum Porphyrogennetum (de caerim. II 54, de them. 47,7), Ravennatem (IV, 6), in itinerario Antonini (p. 322, 332, 175), in itinerario Hierosolymitano p. 602), in notitiis episcopatuum (II 39, IV 65, VI 36, VII 36, alibi), demum in nummis ex Traiano (Head H. N. p. 245). Oppidum intra annos 101—107 a Traiano conditum esse videtur indeque apud Romanos semper ita vocabatur.

158. Plotinopolis.

Plotinopolis, intra Hadrianopolim et Traianopolim sita, commemoratur apud Ptolemaeum (III 11, 13), Hieroclem (635), Georgium Cyprium (490), Constantinum Porphyregennetum (de them. 47,9 c), in itinerario Antonini (p. 175, 322), in tabula Peutingeriana, in notitiis episcopatuum (I 490, VII 261, VIII 544, IX 455), in nummis ex Antonino usque ad Caracallam (Head H. N. p. 245).

Oppidum fortasse eodem tempore atque Traianopolis, scil. intra annos 101—107, vel paulo postea, a Traiano in honorem Plotinae coniugis conditum est et apud Romanos semper ita audiebat.

159. Anchialus = Ulpia Anchialus.

Eodem fere tempore, quo Traianopolis condita est, Anchialus in honorem Traiani, qui oppidum privilegio auxisse videtur, „Ulpianae“ cognomen sibi imposuit, quod etiam in nummis Gordiani Pii occurrit (Mionnet I p. 371). Anchialus in ora maritima inter Mesembriam et Apolloniam sita erat.

160. Nicopolis = Ulpia Nicopolis.

Nicopolis, quae a Philippis in septemtrionem vergebat atque ad Nestum sita erat, item atque Anchialus a Traiano beneficia accepisse videtur, ita ut cognomen „Ulpiae“ sibi imponeret, quod in nummis ex Crispina usque ad Caracallam (Head H. N. p. 244) occurrit atque non nisi sollemniter usurpabatur.

161. Serdica = Ulpia Serdica.

Serdica, ad Oescum flumen sita, in nummis ex Aurelio usque ad Gallienum (Head H. N. p. 245) audit: „Ulpia Serdica.“ Traianus igitur fere intra annos 101—110 oppido sollemne illud cognomen imposuisse videtur, quod etiam tertio saeculo usurpabatur.

162. Topirus = Ulpia Topirus.

Topirus, prope Neapolim ad Nestum flumen sita, Traiani in honorem sibi „Ulpiae“ cognomen imposuit, quod in nummis ex Antonino usque ad Getam occurrit (Head H. N. p. 245).

Phrygia.

163. Traianopolis = Grimenothyrae.

Traianopolis, in territorio Grimenothyritarum inter Bagas et Acmoniam oppida sita erat [1]) (Ptolemaeus V 2, 14, 15). Gentem non „Trimenothyritas“ sed „Grimenothyritas“ esse vocandam ex nummis (Head H. N. p. 564) apparet, in quibus oppidum ex Traiano usque ad Gordianum: „Traianopolis“, in nummis Hadriani et Sabinae autem: „Grimenothyrae“ audit. Grimenothyrae oppidum igitur a Traiano „Traianopolis“ vocatum est, quod nomen inde apud Romanos semper usitatum erat (Hierocles 668; not. episc. I 361, XIII 278). Jam sexto saeculo autem ex „Traianopolis“ forma „Tranupolis“ exorta erat.

[1]) Ramsay, Asia Minor p. 149.

Cilicia.

164. Traianopolis = Selinus.

Selinus, orientali in parte Ciliciae ad mare sita, ita audit apud Ptolemaeum (V 8,2), Hieroclem (709), Georgium Cyprium (837, 1604), in tabula Peutingeriana, in notitiis episcopatuum (III 728, X 785), in Digestis (L 15,1) Dio Cassius (68,33) a. a. 117 refert Traianum Selinunte in oppido, quod postea „Traianopolis“ vocatum sit, mortuum esse. Ulpianus (l. c.) Selinuntem, „quae et Traianopolis“, coloniam fuisse testatur et in tabula Peutingeriana oppidum duabus turribus significatur. In nummis (Head H. N. p. 610) ex Lucilla usque ad Philippum I oppidum aut „Selinus“ aut „Trajanopolis-Selinus“ audit nulla coloniae mentione facta. Hadrianus igitur, sine dubio paulo post Traiani mortem Selinunti cognomen „Traianopolim“ imposuit, quod tertio saeculo etiam sollemniter usurpabatur. Postea autem oppidum usque ad septinum saeculum modo Selinus audiebat. Selinuntem sub Caracalla coloniam esse factam ex nummis et Ulpiani testimonio apparet; nam, cum in Lucillae et Septimii nummis coloniae nulla mentio fiat, tantum Caracalla oppido coloniae ius donasse potest, cuius nummi non exstant; quod confirmatur Ulpiani verbis, qui sub Caracalla floruit et testimonio tabulae Peutingerianae, quae sub eodem imperatore confecta esse videtur. Postea Selinus coloniae iure privata esse videtur, cum in Alexandri et Philippi nummis tantum „Selinus“ vel Traianopolis Selinus“ vocetur.

165. Traianopolis = Epiphania.

Epiphania, quae in sinu Issico sita erat, in nummis ex Hadriano usque ad Otaciliam: „Traianopolis-Epiphania“ seu modo: „Epiphania“ audit. Traianus igitur, cum anno 114 per Lyciam et Ciliciam Seleuciam proficisceretur (Dio 68,17), Epiphaniam privilegiis auxit et oppido „Traianopolis“ cognomen imposuit, quod non nisi sollemniter usurpabatur (Head H. N. p. 602).

P. Aelius Hadrianus 117—138.

Hadrianus multis oppidis coloniae ius atque titulum donavit, cum vera deductio raro facta sit. Post Hadrianum autem, Septimio excepto, veterani omnino non iam deducebantur. — Praeterea Hadrianus, qui saepe peregrinatum Roma aberat et fere omnes provincias ipse visitavit, permulta oppida ex se nominavit vel cognominavit.

A. Coloniae, quae ex Hadriano sollemnia cognomina acceperunt.

Italia.

124. Formiae = col. Aelia Hadriana Augusta Formiae.

Formiae, Volscorum oppidum, quod apud auctores semper ita audit, in libro coloniarum (p. 234) et in nonnullis titulis (C. I. L. X 5058, 6079, 6090, 6094, 6106) colonia dicitur; sollemne nomen: „col. Aelia Hadriana Augusta" in uno titulo, ibi reperto, (l. c. 6079) occurrit. Hadrianus igitur municipio ius coloniae donavit una cum cognominibus commemoratis.

125. Aeclanum = col. Aelia Augusta Aeclanum.

Aeclanum, in Hirpinorum territorio situm, apud auctores (Plin. III 105; Vellei. II 16; Appian. b. c. I 51; Ptolem. III 1,71) fere semper „Aeculanum" audit, sed „Aeclanum" publicam formam fuisse ex titulis apparet (C. I. L. IX p. 98). Hadrianum veteranorum coloniam Aeclanum deduxisse intellegimus ex libro coloniarum (p. 210, 261) et ex titulis, quorum in duobus (C. I. L. IX 1111, 6083) oppidum: „col. Aelia Augusta Aeclanum" vocatur. De vera deductione esse cogitandum verba libri coloniarum indicant.

Hispania Baetica.

126. Italica = col. Aelia Augusta (Victrix) Italica.

Italica, prope sinistram Baetis ripam sita, anno fere 205 a. Chr. n. a Scipione Africano Maiore vici loco condita est (Appian. Iber. c. 38; C. I. L. II 1119). Postea Italica municipium facta est (C. I. L. II p. 146) atque in nummis Augusti atque Tiberii audit: „municipium Italicense" (Eckhel I p. 23). Qua conditione autem non contenti, incolae coloniae Romanae nomen atque ius ab Hadriano, unde ille originem duxit, petiverunt; quod imperator miratus est (Gellius XVI 13,4), sed tamen illis obsecutus esse videtur. In titulis enim: „col. Aelia Augusta Italica" (C. I. L. XII 1856) aut modo „col. Italicensis" (C. I. L. XI 2699) occurrit. In alio titulo (C. I. L. II 1135) haec invenimus: „civis Romanus col. V . . . Italicensium. Quid littera V. significetur, non satis constat; Th. Mommsen de „Ulpia" cogitaverat, quod cognomen

[1]) C. I. L II p. 146.

autem ad Gellii verba non quadrare Aemil. Huebner [1]) recte observavit. Potius igitur cognomen „Victrix", quod Ponzius coniecit, arridet. Ab Hadriano igitur, fortasse anno 21, cum in Hispania moraretur, municipio coloniae ius atque cognomina Aelia Augusta imposita sunt. „Victrix" cognomen autem, si littera V recte ita supplenda est, ad Hadrianum pertinere non videtur, cum in titulo, supra allato, oppidum modo „col. Aelia Augusta" non „Victrix" vocetur. Praeterea Hadrianus „Victricis" cognomen nulli aliae coloniae imposuit; fortasse seriore aetate a quovis imperatore illud cognomen adiectum est.

Gallia Narbonensis.

127. Avennio = col. Julia Hadriana Avennio.

Avennio, ad Druentiae et Rhodani confluentes sita, fere anno 45, Caesaris iussu, colonia Latina facta est. Augusto autem imperante oppidum, ut nonnullae aliae coloniae Latinae, in provincia Narbonensi sitae, coloniae iure privatum esse videtur, cum apud Melam (II 5) et Plinium (III 36) coloniae nulla mentio fiat. Ergo ab imperatore quodam serioris aetatis, fortasse ab Hadriano, Avennio civium colonia facta est. Apud Ptolemaeum (II 10,14) enim oppidum colonia vocatur atque in titulo (C. I. L. XII 1120), fraudis suspicioni quidem satis obnoxio, ut censet O. Hirschfeld [1]), reperitur: „col. Julia Hadriana Avennio." Hadrianus igitur Avennioni coloniae ius donasse videtur, servato „Juliae" cognomine.

Noricum.

128. Solva = col. Aelia (Flavia) Solva.

Solva, prope hodiernum oppidum „Leibnitz" sita, [2]) apud solum Plinium (III 146) commemoratur, ubi „Flavium Solvense" (scil. municipium) audit. In titulis quoque (C. I. L. III 5331, 5343, 5457) „Flavia Solva" occurrit, ita ut Solvam municipium Flavium fuisse apertum sit. Hadrianus municipio coloniae dignitatem donavit; in laterculo enim cohortis primae praetoriae (C. I. L. VI 2385, c. 5): „Aelia Solva" una cum aliis Aeliis coloniis occurrit. Ex Hadriani tempore oppidum sollemniter audiebat: „col. Aelia Solva"; „Flavia" cognomen autem intercidit.

---

[1]) C. I. L. XII p. 130.
[2]) Th. Mommsen, C. I. L. III p. 649.

Pannonia Inferior.

129. Mursa = col. Aelia Mursa.

Mursa, ad Dravum sita, apud Ptolemaeum (II 15,8) et in titulis (C. I. L. III 3288, 3291, 3560, 10305) „colonia" dicitur, quorum in uno (3560): „colonia Aelia Mursa" reperitur; praeterea Stephanus Byzantius Mursam „Κτίσμα Ἀδριανοῦ" fuisse testatur. Hadrianus anno 133 Mursam veteranos legionis II Adiutricis deduxit, ut apparet ex duobus aliis titulis (C. I. L. III 3279, 3280), quorum in altero, anno 133 conscripto, inscriptio est: ‚Hadriano conditori suo."

Lycaonia.

130. Iconium = col. Aelia Hadriana Augusta Iconium.

Iconium, caput Lycaoniae, apud auctores ex Xenophonte usque ad decimum saeculum semper ita audit. In nummis autem ex Nerone usque ad Hadrianum (Mionnet III p. 534) oppidum vocatur: „Claudiconium" atque in titulo graeco (C. I. Gr. 3991) „Κλαυδεικονιεῖς" sive „Κλαυδιεῖς Εἰκονιεῖς" occurrunt; praeterea in marmore quodam (Muratorius p. 779) reperitur: „Claudia Iconium." Ex Gordiano Pio autem usque ad Gallienum oppidum in nummis vocatur: „col. Aelia Iconiensis" sive: „col. Aelia Hadriana Augusta Iconiensium" (Mionnet III p. 535; Cagnat, Rev. Archéol. XVII p. 414 n. 90) atque in titulo graeco demum (C. I. Gr. 3993) occurrit: „colonia Iconium." Claudius imperator igitur oppidum, privilegio donatum, ex se „Claudiconium" nominavit. Jus coloniae autem sine dubio non a Claudio, sed ab Hadriano demum oppido donatum est, ut cognomina Aelia Hadriana Augusta indicant. Accedit, quod in coloniae nummis modo „Iconium", sed noniam „Claudiconium" reperitur. Nomen Claudiconium postremo in Faustinae iunioris nummo occurrit atque postea intercidisse videtur.

Palaestina.

131. Hierosolyma = col. Aelia Commodiana Capitolina.

Hierosolyma, Judaeae caput, anno 70 a Tito expugnatum et deletum erat. Hadrianus autem anno 132, cum altero in itinere, quod imperii visitandi causa suscepit, in Judaeam venisset, in deleto oppido Graecos collocavit, quod „Aeliam Capitolinam" nominavit; pro vetere Judaeorum templo enim Jovi Capitolino novum templum aedificaverat (Dio 69,12; Malalas II p. 279 Bonn;

Ulpian. Dig. L 15,1). Quibus rebus vehementi ira incensi, Judaei, cum imperator in Aegypto abesset, etiam eodem anno seditionem fecerunt (Eusebius, chron.; hist. eccles. IV 6; Dio l. c). Coloniam Aeliam Capitolinam primitus anno 132 esse conditam probabile est, cum paulo post Judaei, qui iam antea ad seditionem erant propensi, rebellaverint, quod etiam anno 132 esse factum pro certo constat. Anno 135 demum bello confecto Judaei omnes patria sua pulsi sunt atque colonia Aelia Capitolina denuo constituta munitaque est; sed ius Italicum non accepit. Oppidum audit „Aelia Capitolina" apud: Ptolemaeum (V 16,8, VIII 20,18), Dionem (l. c.), in tabula Peutingeriana; modo „Aelia" apud: Eusebium (hist. eccles IV 6), Hieronymum (in chronico, saepe), Hieroclem (718), in itinerario Antonini (p. 200); „Aelia Hierosolyma" apud Georgium Cyprium (998); „Hierosolyma" demum in itinerario Hierosolymitano (saepe, Parthey), in patrum Nicaenorum nominibus (I 21, II 21, III 21), in itineribus Hierosolymitanis (saepe, Geyer); aique alibi. In uno titulo (C. I. L. III 6649) atque in nummis ex Hadriano usque ad Valerianum (Eckhel, III p. 441—443) oppidum publice audit: „col. Aelia Capitolina vel: col. Aelia Capitolina Commodiana" ex Pescennio Nigro usque ad Herennium. Commodus igitur coloniae, fortasse privilegio quodam auctae, cognomen „Commodianae" imposuit. Apud Romanos et Graecos oppidum ex anno 135 usque fere ad quartum saeculum „Aelia Capitolina" vel modo: „Aelia" audiebat, postea autem utrumque nomen et „Aelia" et „Hierosolyma" occurrit. „Aelia" nomen etiam sexto vel septimo saeculo (in notitiis episcopatuum I 6) reperitur.

Africa.

132. Utica = col. Julia Aelia Hadriana Augusta Utica.

Utica, vetus Poenorum urbs, anno 36 ab Octaviano civitatem accepit et municipium Julium facta est (Dio 49,16; Plin. V 24; L. Mueller, Numism. II p. 159). Sub Hadriano, fortasse fere anno 123, cum imperator in Africa versaretur, Utica colonia facta est (Gellius, noct. Attic. I 3,4), atque publice ex illo tempore audiebat: „col. Julia Aelia Hadriana Augusta" (C I. L. VIII 1181, 1183, 1204), servato „Julii" cognomine, ab Octaviano imposito. Septimius Severus coloniae ius Italicum dedit (Dig. L 15,8).

133. Zama Regia = col. Aelia Hadriana Augusta Zama Regia.

Zama Regia, item vetus Carthaginiensium urbs, sub Hadriano certe una cum Utica, fortasse anno 123, coloniae ius accepit in-

deque publice vocabatur: „col. Aelia Hadriana Augusta Zama Regia“ (C. I. L. VIII 12018, VI 1686), quod nomen etiam anno 322 usurpabatur. Zama veterem splendorem tamen nunquam recuperasse videtur, etsi coloniae iure aucta erat.

B. Cetera oppida, quae ex Hadriano nomen vel cognomen acceperunt.

Illyricum.

166. Hadrianopolis.

Hadrianopolis, in meridionali parte Illyrici intra Apsum et Aoum flumina sita, commemoratur in tabula Peutingeriana (VI), apud Hieroclem (651), Georgium Cyprium (1667), Procopium (de aedif. IV 1), in notitiis episcopatuum (III 530, X 623, XIII 474). Cum Ptolemaeus, qui sub Hadriano floruit, oppidum nondum noverit, Hadrianus illud posteriore aetate sua videtur condidisse. Justinianus oppidum a se restitutum, „Justinianopolim“ vocavit (Procop. l. c.), quod nomen paulo post rursus intercidit atque cotidiano usu receptum esse non videtur. Decimo saeculo enim oppidum rursus audit: „Hadrianopolis“, quod nomen postea mutatur in „Drinupolis“, vel „Drynupolis“.

Thracia.

167. Hadrianopolis = Edreneh.

Hadrianopolis, ad Hebrum sita, ita audit apud Ptolemaeum (III 11,12), Georgium Cyprium (38, 487, 11,52, 1709), Hieroclem (635), Constantinum Porphyrogennetum (de them. 47, 8a), Ammianum (14, 11, 27), Procopium (bell. Goth III 40), Credenum (II p. 184, 284, Bonn), Zosimum (II 12), Eutropium (VI 8), in tabula Peutingeriana, in itinerario Antonini (p. 137, 231, 322), in notitia dignitatum (or. XI 32), in notitiis episcopatuum (IV 38, VI 38, saepius), demum in nummis ex Hadriano usque ad Tranquillinam (Head H. N. p. 244). Oppidum, quod prius „Uscadama“ audiebat, ab Hadriano fortasse intra annos 123—125, cum ille in Bithyniae et Propontidis oppidis moraretur atque inde Athenas proficisceretur, „Hadrianopolis“ nominatum est, quod nomen semper volgare erat ex illo tempore; hodie etiam oppidum apud Turcos „Edreneh“, apud Bulgaros: „Odrin“ audit, quas formas ex „Hadrianopolis“ exortas esse apparet. Vetus nomen retinent Graeci.

Bithynia.

168. Hadrianopolis.

Hadrianopolis, Bithyniae urbs, ubi sita fuerit, non constat. Hierocles (695) et Georgius Cyprius (265) oppidum in Honoriade provincia prope Claudiopolim et Cratiam situm fuisse testantur. Hadrianopolis Bithyniae praeterea occurrit apud Justinianum (Novell. 29), in actis concilii Nicaeni (Harduin. I 320 B), in notitiis episcopatuum (III 215, VIII 317), in nummis ex Hadriano usque ad Alexandrum Severum (Head H. N. p. 440). Hadrianus intra annos 123 - 124, quibus illis in regionibus morabatur, oppidum videtur condidisse, cuius etiam decimo saeculo mentio fit.

Mysia.

169. Hadriani = Edrenos.

Hadriani oppidum, in Olpmpene prope Olympum Mysium ad Rhyndacum flumen situm, commemoratur apud Socratem (hist. eccles. VII 30), Hieroclem (693), Georgium Cyprium (197), in nummis inde ab Hadriano usque ad Gallienum (Head H. N. p. 455); Hadriani urbs, quae ab Hadriano intra annos 123—124 condita esse videtur, apud Romanos semper ita audiebat. Hodiernum nomen „Edrenos“ ex „Hadriani“ vel potius ex „Adranos“, quae forma in notitiis episcopatuum (III 131) occurrit, exortum est.

170. Hadrianopolis = Stratonicea.

Stratonicea, quae, a Pergamo in orientem versus, ad Caicum flumen sita erat, apud chorographos semper ita audit, item in notitiis episcopatuum. Hadrianus, cum intra annos 123—124 ibi moraretur, oppido sollemne cognomen „Hadrianopolis“ videtur imposuisse, quod in nummis usque ad Gallienum (Head H. N. p. 466) occurrit

171. Hadrianutherae.

Hadrianutherae oppidum fortasse eodem fere tempore atque Hadriani propter felicem venationem, ibi factam, ab Hadriano est conditum (Dio 69,10) et nomen allatum accepit. Urbs, quae intra Pergamum et Miletopolim oppida sita erat[1]), commemoratur apud Spartianum (Hadr. 20), Hieroclem (663), Georgium Cyprium (153, 1291), Georgium Cedrenum (hist. I p. 437 Bonn) Ravennatem, in tabuia Peutingeriana, in notitiis episcopatuum (III 86,

---

[1]) Ramsay, Asia Minor p. 155.

VII 139), in nummis ex Hadriano usque ad Philippum (Head H. N. p. 455). Apud Romanos igitur nomen „Hadrianutherai" semper usitatum erat.

Phrygia.

172. Hadrianopolis = Thymbrion.

Hadrianopolis, quae intra Philomelium et Tyriaeum oppida sita erat[1]) ita audit apud Hieroclem (672), Georgium Cyprium (1539), in actis conciliorum (Harduin. I 318 B, I 816 C), in notitiis episcopatuum (I 420, III 373, VII 197, alibi) atque in nummis demum ex Antonino usque ad Gordianum (Head H. N. p. 564). Hadrianus oppidum, quod prius „Thymbrion" audiebat[2]), ex se vocavit: „Hadrianopolim", quod nomen etiam sexto vel septimo saeculo usurpabatur.

Pamphylia.

173. Hadrianae = Hadrianopolis.

Hadrianae, Pamphyliae secundae urbs ita audit in notitiis episcopatuum (III 403, VII 223), apud Georgium Cyprium (452, 1570), in actis conciliorum a. 553 (Harduin III 208 B), cum in actis conciliorum a. 451, et a. 536 Harduin II 370 E, II 987 E) „Hadrianopolis" vocetur. Oppidum, cuius situs incognitus est, ab Hadriano conditum et „Hadrianopolis" nominatum esse videtur, quod nomen postea mutatum est in „Hadriane"

Cilicia.

174. Olba = Olba Hadriana Antoniniana.

Olba, a Calycadno flumine paulo in septemtrionem versus, prope Seleuciam sita erat. Oppidum, quod apud auctores semper ita audit, ab Hadriano fortasse intra annos 130—131 beneficiis quibusdam auctum, sibi „Hadrianae" cognomen imposuit, quod in nummis ex Antonino usque ad Caracallam occurrit; Antoninus Pius „Antoninianae" cognomen adiecit. (Head H. N. p. 610).

175. Mopsus = Hadriana Mopsus.

Mopsus, quae etiam Mopsuhestia (Ptolem. V 87; Hierocl. 705; not. episc. V 819) vocabatur, ita audit in nummis ex Augusto usque ad Valerianum (Head H. N p. 608). Hadrianus oppidum

---

[1]) Ramsay, l. c. p. 400.
[2]) Ramsay l. c.

privelegiis videtur auxisse, cum in nummis illius, Sabinae, Antonini „Hadriana“ cognomen occurrat, quod oppidum certe intra annos 130—131, cum imperator ibi versaretur, sibi imposuit.

175. Hadrianopolis = Zephyrion.

Zephyrion, quod prope Tarsum in ora maritima situm erat, ita audit apud Ptolemaeum (V 8, 3, 4), Hieroclem (704), in notitiis episcopatuum (I 816). In nummis autem ex Hadriano usque ud Trebonium Gallum (Head H. N. p. 618) cognomen „Hadrianopolis“ reperitur, quod Hadrianus oppido, item intra annos 130—131, imposuisse videtur; Zephyrion non nisi publice „Hadrianopolis“ vocabatur.

Pontus.

177. Amasia = Hadriana Antoniniana Severiana Alexandriana Amasia.

Amasia, ad Scylacem flumen sita, in honorem Hadriani, qui oppidum privilegio auxisse videtur, cognomen „Hadrianae“ sibi imposuit, quod ex Commodo usque ad Severum Alexandrum in nummis occurrit (Head H. N. p. 424). Septimius et Caracalla cognomina „Severianae“ et „Antoninianae“, Alexander Severus „Alexandrianae“ cognomen adiecerunt.

Aegyptus.

178. Antinoupolis = Hadrianopolis.

Antinoupolis, dextra in ripa Nili sita, ab Hadriano anno 122 in honorem pueri Antinoi, a se amati, condita est, ut referunt Dio (69,11), Spartianus (Hadrian. 14,5), Malalas (chronogr. p. 280 Bonn), Eusebius (chron. II p. 167: Schoene. Oppidum audit: „Antinoupolis“ apud Ptolemaeum (IV 5,61) et Dionem (69,11), „Antinoeia“ sive „Hadrianopolis“ apud Stephanum Byzantium, „Antinou“ sive „Antenou“ apud Pausaniam (VIII 9,7), Hieroclem (730), Ravennatem (123,8), Rufinum (vita patr.) Ammianum XXII 16,2), Georgium Cyprium (761), in itinerario Antonini (p. 167), in tabula Peutingeriana, in patrum Nicaenorum nominibus (V 14, VII 14, alibi). Oppidum altero saeculo „Antinoupolis“ ex tertio autem modo: „Antinou“ vel „Antenou“ audiebat, quod nomen etiam sexto saeculo usurpabatur. Cum Antinoupolis ab Hadriano condita sit, oppidum nonnumquam etiam „Hadrianopolis“ vocatum esse videtur.

Cyrenaica.

179. Hadrianopolis = Hadriane.

Hadrianopolis, in ora maritima intra Tauchiram et Berenicen sita, ab Hadriano anno 121, cum in Libya moraretur (Euseb. chron. II p. 167 Schoene) condita esse videtur; oppidum ita audit in tabula Peutingeriana et apud Ravennatem (V 6), cum alibi fere semper forma „Hadriane“ occurrat, ut apud Hieroclem (733), in itinerario Antonini p. 67), in notitiis episcopatuum (I 793) Ex tertio saeculo igitur oppidum modo „Hadriane“ audiebat, cum vox „πόλισ“, ut iam alibi vidimus, interciderit.

Hadrianus praeterea compluribus oppidis sollemne cognomen „Hadrianae“ imposuit; Neocaesarea Ponti, Claudiopolis Bithyniae, Smyrna, Adana, Diocaesarea Ciliciae, Germanicopolis Ciliciae, Tarsus, Aegae, Petra in nummis „Hadrianae“ vocantur (Head H. N. p. 426, 437, 510, 592, 602, 603, 617, 687; Mionnet III p. 541).

T. Aelius Hadrianus Aurelius Antoninus Pius 138—161.

A. Coloniae, quae ex Antonino Pio sollemnia cognomina acceperunt.

Italia.

134. Canusium = col. Aurelia Augusta Pia Canusium.

Canusium, ad Aufidum situm, apud Plinium (III 104) municipium dicitur, in coloniarum libro (p. 210) autem inter colonias recensetur. In titulo Canusino (C. I. L. IX 844) oppidum audit: „col. Aurelia Augusta Pia Canusium“; quae cognomina non nisi ad Antoninum Pium posse pertinere Th. Mommsen[1]) recte ostendit. Ex gente Aurelia enim Antoninus solus „Pii“ cognomen assumpsit.

---

[1]) C. I. L. X p. 35.

Africa.

135. L a r e s = c o l. A e l i a A u g u s t a L a r e s.

Lares oppidum, prope Siccam situm, colonia dicitur in itinerario Antonini (p. 26), in tabula Peutingeriana, in titulo (C. I. L. VIII 1779), ubi haec leguntur: „Divo Antonino Caesari colonia Aelia Auguste Lares.“ „Aeliae Augustae“ cognomina oppidum una cum coloniae iure non ab Hadriano, sed ab Antonino accepisse ex titulo allato concludere licet; accedit, quod omnes Hadriani coloniae, in Africa sitae, „Hadrianae“ quoque praeter „Aeliae“ et „Augustae“ cognomina acceperunt, cum Lares et Thaenae modo „Aeliae Augustae“ nominata sint. Quae ambae coloniae primam in aetatem Antonini cadere videntur, cum posteriore aetate cognomina „Aurelia Pia“ Canusio coloniae imposita sint. „Aelia“ cognomen enim pertinet ad pietatem Antonini erga Hadrianum, a quo adoptatus erat.

136. T h a e n a e = c o l. A e l i a A u g u s t a M e r c u r i a l i s T h a e n a e.

Thaenae oppidum, quod a Thysdroin meridiem vergebat, in ora maritima situm erat. Oppidum audit: „colonia Aelia Augusta Mercurialis Thaenitorum“ seu modo „Aelia Felix Thenae“ in titulis (Gruter. p. 363, 3; C. I. L. VIII 2991) atque „Thenis colonia“ in itinerario Antonini (p. 46, 47, 48, 57, 59). Thaenae recta forma est, quippe quae in titulis optimae aetatis usurpetur. Antoninus Thaenis item atque Laribus primis principatus sui temporibus coloniae ius donasse videtur, ut supra demonstratum est.

B. Antoninus Pius nulla oppida ex se nominavit, nisi quod Olbae, Ciliciae oppido, sollemne cognomen „Antoninianae“ imposuit, quod in nummis ex illius principatu usque ad Caracallam occurrit (Head H. N. p. 610).

Marcus Aelius Aurelius Antoninus 161-180.

A. Coloniae, quae ex M. Aurelio sollemnia cognomina acceperunt.

Gallia Cisalpina.

127. M e d i o l a n u m = c o l. A u r e l i a ? A n t o n i n i a n a ? G a l l i e n i a n a A u g u s t a F e l i x.

Mediolanum, quod Tacitus (hist. I 70) inter Transpadanae regionis firmissima municipia affert, posteriore aetate colonia facta

est. In titulis Mediolanensibus enim (C. I. L. V 5465, 5515, 5612, 5892, 5847, 5869) legimus: „col. M.“ vel: „C. A. A. Mediol.“, vel: „C. A. A. M.“, vel etiam: „Colon. G. A. F. Med.“, atque in Placentino (C. I. L. XI 1230): „C. A. A. F. M.“ Quae notae quid significent, pro certo explorari nequit. Th. Mommsen [1]) suo iure litteras „G. A. F.“ esse: „Gallieniana Augusta Felix“ censet. Sed quod ille vir doctissimus (l. c.) contendit notas „A. A.“ posse significare aut: „Aelia Augusta“ aut: „Aurelia Augusta“ aut „Antoniniana Augusta“, primum de „Aelia“ cognomine hic cogitandum non est, quippe quod in nummis titulisque non nisi per „Ael“ significetur (Head H. N. p. 224, 596, 679; C. I L. VI 2385, c. 5; 9,16). Praeterea notae „A. A.“ si alterum illud „A“ significaret: „Augusta“, admodum ambiguae essent, cum primum illud „A“ aut: „Aurelia“ aut: „Antoniniana“ aut: „Alexandriana“ posset significare. Quibus de causis notae: „A. A.“, quae in tribus titulis citatis occurrunt, cognomina „Aureliae Antoninianae“ mihi videntur significare; quae cognomina M. Aurelius Mediolano una cum coloniae iure, item atque Ovilavae, donavit. „Felix“ cognomen coloniae ab imperatore quodam, inter M. Aurelium et Gallienum imperante, fortasse a Caracalla, qui ipse „Felix“ appellabatur, impositum esse videtur, cum iam in titulo, ante Gallieni aetatem (C. I. L. XI 1230) conscripto, praeter notas „A. A.“ occurrat. Gallienus coloniam privilegiis auxit et illi cognomina „Gallienianae Augustae“ imposuit, servato cognomine „Felicis“. Ex Gallieno igitur oppidum sollemniter audiebat: „col. Gallieniana Augusta Felix Mediolanum.“

Noricum.

138. Ovilava = col. Aurelia Antoniniana Ovilava.

Ovilava oppidum, quod ab Histro paulo in meridiem vergebat, in tabula Peutingeriana: „Oviliae“, in itinerario Antonini (p. 235, 249, alibi): „Ovilavi“, in duobus titulis (C. I. L. III 5606, 5630): „Ovilava“ audit, quorum in altero: „colonia Ovilava“ atque in altero: „col. Aurelia Antoniniana Ovilava“ reperitur. Quae cognomina Ovilava sine dubio a Marco Aurelio una cum coloniae iure accepit, qui illis in regionibus, cum Marcomannis bellum inferret, saepe versabatur.

---

[2]) C. I. L. V p. 634.

Dacia.

139. Apulum = col. Aurelia Apulum.

Apulum ad Marisiam flumen situm erat. In titulis et „municipium Aurelium Apulum" (C. I. L. III 986, 1132) et „colonia Aurelia Apulum" (l. c. 7773) sive modo „col. Apulum" (l. c. 975, 1139, 7739, 7804) fere eodem tempore (a. 180) occurrunt. Praeter castra igitur ibi vicus Dacorum fuerat; a M. Aurelio autem castrorum canabis coloniae ius, vico autem municipii dignitas data sunt. Aliis in titulis (C. I. L. III 976, 985, 1051, 1082) „municipium Septimium Apulum" reperitur; Septimius igitur, quo tempore coloniae ius Italicum donavit (Dig. L 15, 1, 9), etiam municipio „Septimii" cognomen imposuit. Haud scio an colonia quoque cognomen „Septimiae" acceperit; utique Severorum aetate „Aurelia" cognomen interciderat atque sub Decio (C. I. L. III 1176): „colonia Nova Apulum" occurrit.

140. Napoca = col. Aurelia Napoca.

Napoca, quae ab Apulo in septemtrionem vergebat, sub Hadriano „municipium Aelium" facta est (C. I. L. III 860, 1100; VIII 3201). In tabula Peutingeriana autem, in Digestis (L 15, 1, 9), in multis titulis (C. I. L. III 865, 1141, 858, alibi) Napoca „colonia" dicitur atque in duobus aliis titulis (C. I. L. III 963; VI 269) reperitur: „col. Aurelia Napoca." M. Aurelius igitur Napocae ius coloniae atque „Aureliae" cognomen dedit. Solum „Aureliae" cognomen semper ad Marcum Aurelium pertinere probabile est.

Mesopotamia.

141. Carrae = col. Metropolis Antoniniana Aurelia Alexandriana Carrae.

Carrae oppidum, quod ab Edessa in meridiem vergebat, Crassi clade notum est. M. Aurelius oppido coloniae ius donavit; exstant enim nummi M. Aurelii et L. Veri sine coloniae mentione (Eckhel III p. 506) atque rursus utriusque imperatoris nummi, in quibus Carrae colonia appellantur. M. Aurelius Carris, iam antequam oppido coloniae ius donaret, cognomina „Αὐρηλίασ Φιλορωμαίασ" imposuit, fortasse propter fidem Carrenorum, in bello Parthico erga Romanos probatam. Paulo post autem, fortasse anno 166, bello Parthico confecto, imperator Carris coloniae ius dedit indeque oppidum usque ad Caracallam in nummis audit: „Κολωνεία Μητρόπολις Αὐρηλίων Καρρηνῶν Φιλορωμαίων." Caracalla autem coloniae cognomina „Antoninianae" et „Alexandrianae" im-

posuit, ita, ut oppidum sollemni nomine sub Caracalla audiret: „col. Metropolis Antoniniana Aurelia Alexandriana" (Mionnet V p. 597), „Alexandrianae" cognomen, quod in uno nummo Caracallae (Mionnet l. c. n. 24) occurrit, pertinere ad Caracallae imitationem Alexandri Magni Eckhel[1]) suo iure coniecit; alias illud cognomen non nisi ab Alexandro Severo coloniis impositum est. Metropolis cognomen oppido a M. Aurelio datum est, quod post Caracallam in nummis usque ad Tranquillinam ut solum cognomen occurrit.

142. Singara = Metropolis Colonia Aurelia Julia Septimia Severiana Singara.

Singara, quae a Chabora flumine in orientem vergebat, in nummis ex Alexandro usque ad Gordianum (Eckhel III p. 519, Head H. N. p. 690) audit: „Aurelia Septimia col. Singara" vel: »Metropolis col. Aurelia Septimia Severiana Singara« vel in nummis Philippi: »Julia Septimia col. Singara.« M. Aurelius igitur anno fere 166 Singarae, item atque Carris et Edessae, coloniae ius atque »Aureliae« cognomen dedit; Septimius autem, qui intra annos 195—198 contra Parthos bellum gessit, fortasse anno 198, Parthis victis colonias Mesopotamiae denuo instituit atque firmavit. Quo tempore Singara atque Nisibis »Septimiae« cognomen acceperunt. Philippus Arabs autem, qui anno 244 cum Persis pacem fecit, coloniae, fortasse privilegio auctae, »Juliam« cognomen imposuit.

143. Edessa = col. Marcia Aurelia Antoniniana Opelliana Macriniana.

Edessa, vetus caput Osroenes, in Commodi nummis (Mionnet VIII p. 399) audit: »col. Marcia Edessa«; in Caracallae nummis autem: »Marcia Aurelia Antoniniana col. Edessa« vel modo: »Marcia Aurelia — —« vel »Marcia Antoniniana — —«, vel saepius: »col. Marcia Edessa« reperitur. M. Aurelius igitur Edessae anno 166 coloniae ius dedit, item atque Carris et Singarae; quibus tribus coloniis imperator, bello Parthico confecto, Syriam et Mesopotaniam defendere ab hostibus voluit. A M. Aurelio colonia solum cognomen »Marciae« accepisse videtur, quippe quod fere in omnibus nummis, partim solum, partim praeter alia cognomina occurrat. Caracalla autem intra annos 216—217 coloniae cognomina »Aureliae Antoninianae« imposuit atque Macrinus anno 217/218 cognomina »Metropolim Opellianam Macrinianam« adiecit, quae tantum in illius imperatoris nummis inveniuntur. Sub Severo

[1]) D. N. p. 506 sq.

Alexandro etiam cognomina »Marcia Aurelia« occurrunt, cum post illum usque ad Herennium Etruscum in nummis modo »Metropolis col. Edessa« reperiatur.

Africa.

144. Sufes = col. Aurelia Sufetana.

Sufes colonia, quae ab Ammaedara in orientem vergebat, commemoratur in duobus titulis (C. I. L. VIII 258, 262), quorum in altero (262) nomen: »col. Aurelia Sufetana« restituendum esse videtur; quod si iure fit, M. Aurelius Sufetanis coloniae ius dedit. Alibi Sufes colonia non dicitur atque omnino rarissime apud auctores occurrit.

145. Mactaris = col. Aelia Aurelia Augusta Mactaritana.

Mactaris, quae a Zama Regia in orientem vergebat, post annum 170 a M. Aurelio colonia facta est. In titulo (C. I. L. VIII 11799) enim, qui ad annum 170 pertinet, etiam »civitas Mactaritanorum« occurrit, cum oppidum aliis in titulis (l. c. 677, 11801, 11804, 11809, 11813; rev. arch. XIX p. 298) aut: »col. Aelia Aurelia Augusta Mactaris« aut modo: »col. Mactaritanorum« audiat, quae cognomina sollemnia, fortasse uno tempore a M. Aurelio coloniae imposita, certe etiam anno 308 (C. I. L. VIII 11804) usurpabantur. M. Aurelius alias »Aeliae« cognomen non imposuit, sed plurimae coloniae illius vocatae sunt modo: »Aureliae«, nonnullae: »Aureliae Augustae« vel »Aureliae Antoninianae.«

B. Cetera oppida, quae ex M. Aurelio nomen vel cognomen acceperunt.

Germania Superior.

180. Aurelia Aquensis = Aquae Aureliae.

In titulis Rhenanis (Brambach C. I. Rh. 1960, 1956, 1957, 1958) civitas Aurelia Aquensis occurrit, quae, in dextra ripa Rheni intra Argentoratum et Noviomagum sita, sine dubio ab imperatore M. Aurelio, qui Agros Decumates, qui dicuntur, limite confecto instituit, condita est. Cum oppidum in nonnullis titulis (l. c. 1960, 1962) modo »Aquae« audiat, proprium nomen »Aquae Aureliae« videtur fuisse.

Lydia.

181. Neapolis = Aurelia Neapolis.

Neapolis, inter Ephesum et Panionium sita, in nummis ex Alexandro usque ad Trebonium Gallum (Head H. N. p. 506) »Aurelia Neapolis« audit, quod cognomen ad M. Aurelium pertinere videtur, qui nonnullis coloniis, ut supra vidimus, solum „Aureliae" cognomen imposuit.

182. Aureliupolis = Tmolus.

Tmolus urbs, quae, a Maeandro in septemtrionem spectans, ad Tmolum montem sita erat, commemoratur apud Tacitum (ann. II 47) et Plinium (V 29, 30). M. Aurelius oppidum ex se „Aureliupolim" nominasse videtur, quod nomen iam in nummo autonomo ante Commodum occurrit (Mionnet IV p. 15). Oppidum propterea non a Commodo „Aureliupolis" vocatum esse videtur, quod ille imperator oppidis vel coloniis semper cognomen „Commodianae" vel „Commodiae" imposuit. Inde a Commodo usque ad Gordianum in nummis imperatoriis „Aureliupolis" occurrit, item atque apud Hieroclem (670), Georgium Cyprium (167), in patrum Nicaenorum nominibus (II 133, III 133, alibi), ubi interdum false pro „Aureliupolis" forma „Aurelianopolis" reperitur; demum in notitiis episcopatuum (III 160, VII 152, IX 86). Decimo saeculo igitur oppidum etiam „Aureliupolis" audiebat.

Aurelius Antoninus Commodus 180—193.

A. Coloniae, quae ex Commodo sollemnia cognomina acceperunt.

Col. Aelia Capitolina a Commodo cognomen „Commodianae" accepit (Eckhel III p. 441 sq.).

Col. Julia Thuburbo Maius deinde a Commodo cognomina „Aureliae Commodae" accepit (C. I. L. VIII 848, 12366).

B. Cetera oppida nulla ex Commodo nominata sunt, nisi quod Tarso et Aegis sollemne cognomen „Commodianae" imposuit (Head H. N. p. 617; Mionnet III p. 541) — Praeterea Nicaea (Head H. N. p. 443) et Laodicea (Head p. 566) cognomen „Commodiae" acceperunt, quod post Commodum in nummis non occurrit.

Helvius Pertinax 193.

A. Coloniae, quae ex Pertinace sollemnia cognomina acceperunt

Italia.

146. Ricina = col. Helvia Pertinax Ricina.

Ricina, ad Flosim flumen in Piceno sita, apud chorographos (Plin. III 111; tab. Peuting.) semper ita audit; oppidum usque ad Pertinacem municipium erat (C. I. L. IX 5748, 5842). Ab illo imperatore autem Ricina ius coloniae atque cognomina „Helviae Pertinacis" accepit (C. I. L. IX 5747, 5750, 5755). Septimius Severus, qui in titulo anni 205 (l. c. 5747) „conditor coloniae" appellatur, sine dubio alter conditor erat, qui Ricinam veteranos deduxit, cum a Pertinace primo oppido coloniae ius esse donatum ex cognominibus plane appareat.

Sicilia.

147. Lilybaeum = col. Helvia Augusta Lilybaeum.

Lilybaeum, Siciliae occidentali in promunturio situm, sub Augusto municipium Augustum erat (C. I. L. X 7223; p. 742). In nummis enim, sub Augusto cusis (cat. numm. Sicul. mus. Brit. p. 95), „Augustani Lilybitani" occurrunt. Pertinace autem imperante anno 193 municipium coloniae ius accepit; in titulis enim (C. I. L. X 7205, 7222, 7228, 7229, 7236, 7239) oppidum audit: „col. Helvia Augusta Lilybitanorum" vel modo: „col. Augusta Lilybitanorum." Lilybaeum non ab Augusto coloniam esse factum Th. Mommsen[1]) et O. Cuntz[2]) plane demonstraverunt; Plinius (II 243, III 87, 90) enim Lilybaeum coloniam non vocat atque tituli nummique oppidum sub Augusto fuisse municipium docent. Pertinax igitur coloniam ex se „Helviam" nominavit servato „Augusti" cognomine.

B. Cetera oppida ulla ex Pertinace nec nominata nec cognominata sunt.

---

[1]) C. I. L. X p. 742.
[2]) De Augusto p. 38.

Lucius Peptimius Severus
193—211.

A. Coloniae, quae a Septimio Severo sollemnia cognomina acceperunt.

Syria.

148. Laodicea ad mare = Julia col. Severiana Augusta Septimia Aurelia Laodicea Metropolis.

Laodicea, in ora maritima sita, a Seleuco I in honorem Laodiceae matris condita est. Oppidum ex anno 48/47 aeram ducit, quo Julii Caesaris in honorem, qui Laodiceam beneficiis affecit, cognomen „Juliae" sibi imposuit, quod in nummis (Eckhel III p. 315; Mionnet V p. 241) usque ad Septimium Severum occurrit. Laodicea coloniae ius a Septimio una cum iure Italico propter „belli civilis merita" accepit (Malalas XII p. 293 Bonn; Dig. L 15,1); quod anno 194, Nigro victo, factum esse videtur. Tum enim Septimius Syriam in duas provincias scil: „Syriam Coelen" et „Syriam Phoenicen" divisit et provinciarum res denuo instituit. In nummis Septimii, Caracallae, Getae oppidum audit: „col. Septimia Augusta Metropolis", vel: „col. Septimia Aurelia Laodicea Metropolis" seu: „col. Severiana Metropolis Septimia Laodicea" vel modo: „col. Metropolis Laodicea." Quibus ex cognominibus „Severiana", „Septimia", „Augusta" a Septimio, „Aurelia" autem a Caracalla coloniae imposita sunt. In Caracallae nummis quibusdam etiam reperitur: „Julia Metropolis Laodicea", qui nummi fortasse Septimio superstite cusi sunt.

149. Tyrus = col. Septimia Tyrus Metropolis.

Tyrus, vetus Phoenicum urbs, quae in bello, contra Nigrum gesto, Septimii partes secuta erat, item atque Laodicea anno 194 colonia iuris Italici facta esse videtur (Dig. L 15,1). Quo ex tempore oppidum in nummis usque ad Severum Alexandrum audit: „Septimia Tyrus Metropolis Colonia" atque ex Gordiano usque ad Gallienum modo: „col. Tyrus Metropolis." Cum in nummis Elagabali et Aquiliae Severae oppidum fere semper modo: „Tyrus" vel: „Septimia Tyrus" audiat, nulla coloniae mentione facta, illum imperatorem Tyro, quod oppidum fortasse a Macrino steterat, coloniae ius ademisse probabile est[1]). Elagabalo autem mortuo Tyrus coloniae ius recepit.

[1]) Eckhel III p. 387.

150. Sebaste = col. Lucia Septimia Sebaste.

„Sebasten“, quae a Samaria in orientem vergebat, „Divus Severus coloniam deduxit“, ut Ulpianus (Dig. L 15,1) expressis verbis narrat; de vera deductione igitur hic cogitandum est, cum Ulpianus paulo ante de Ptolemaeensium colonia illam nihil praeter coloniae nomen habere dicat. Quam deductionem item in annos 194 vel 195 cadere probabile est; indeque oppidum in nummis usque ad Juliam Maesam: „col. Lucia Septimia Sebaste“ audit (Mionnet V p. 515). „Lucia“ cognomen non nisi coloniae Sebaste impositum est.

Mesopotamia.

151. Nisibis = col. Julia Septimia Nisibis Metropolis.

Nisibis, Mygdoniae oppidum, quod iam Lucullus (Plut. Luc. c. 32) et postea Traianus (Dio 68, 23) expugnaverant, anno 196 a Septimio belli Parthici tempore auctum est et coloniae ius una cum cognominibus „Septimiae Metropolis“ accepit (Dio 75,3; Eckhel III p. 517). Nisibis, quae extremum Romanorum contra Parthos erat propugnaculum, in nummis inde ab Elagabalo usque ad Tranquillinam (Mionnet V p. 626 sq.) audit: „Septimia Colonia Nisibis Metropolis“; sub Philippo autem, qui anno 244 coloniam privilegio affecisse videtur, reperitur: „Julia Septimia col. Nisibis Metropolis.“ Post Otaciliam oppidum in nummis modo: „col. Nisibis“ vocatur.

152. Rhesaena = Septimia col. Rhesaena.

Rhesaena, intra Edessam et Nisibim sita, a Septimio Severo etiam anno 196 coloniae ius et „Septimiae“ cognomen accepisse videtur, quod in nummis ex Caracalla usque ad Etruscum occurrit (Head H. N. p. 689).

Africa.

153. Vaga = col. Septimia Vaga.

Vaga oppidum, quod a Bagrada flumine paulo in meridiem vergebat, apud Sallustium (Jug. 29, 47) „Vacca“, apud Plinium (V 30), Ptolemaeum (IV 3,28), in titulis „Vaga“ audit. Anno 197 eo a Flavio Decimo proconsule colonia deducta est, quae „Septimiae“ cognomen accepit (C. I. L. VIII 1217, 1222, 14395). Vaga praeterea colonia dicitur in titulo (l. c. 14394), in quo coloniae institutio refertur et qui in annum 197 cadit.

Mauretania Caesariensis.

154. Auzia = col. Septimia Aurelia Auzia.

Auzia, in occidentali parte provinciae sita, usque ad Severi aetatem municipium erat (C. I. L. 9046, 9049); Severo autem et Caracalla imperantibus oppidum coloniae iure auctum est atque cognomina „Septimiae Aureliae" accepit, quorum alterum ad Septimium et alterum ad filium eius pertinet (C. I. L. VIII 9062, 9063). Praeterea Auzia saepe in titulis modo: „colonia" vocatur (l. c. 9044, 9045, 9047, 9048).

B. Cetera oppida Septimius ex se non nominavit, nisi quod Amasiae, Tarso, Aegis sollemne cognomen „Severianae" imposuit (Head H. N. p. 424, 617; Mionnet III p. 542). Praeterea Nicaea et Nicomedia „Severiae" cognomen acceperunt, quod tantum in nummis occurrit (Head H. N. p. 443).

M. Aurelius Antoninus Felix Caracalla 211—217.

A. Coloniae, quae ex Caracalla sollemnia cognomina acceperunt.

Italia.

155. Neapolis = col. Aurelia Augusta Antoniniana Felix.

Neapolis, celebris urbs Campaniae, in titulo (Ephem. Epigr. VIII 871) audit: „col. Aurelia Augusta Antoniniana Felix." Quamquam titulus ille, qui in annum 222 cadit, Alexandro dicatus est, tamen Caracalla conditor coloniae esse videtur; Alexander Severus enim omnes colonias, quas ex se nominavit, „Alexandrianas" vocavit; accedit, quod cognomina „Aurelia Antoniniana" saepius a Caracalla imposita sunt, qui ipse „Felix" appellabatur.

Cappadocia.

156. Tyana = col. Antoniniana Tyana.

Tyana, Tauro adsita, in nummis ex Nerone usque ad Septimium modo: „Tyana", in Caracallae autem et Domnae nummis „Antoniniana colonia Tyana" nominatur. Caracalla igitur oppido

coloniae ius atque cognomen „Antoninianae" dedit; quod quamdiu sollemniter usurpatum sit, nescimus, cum post Domnam nulli nummi coloniae exstent.

B. Cetera oppida, quae ex Caracalla nominata vel cognominata sunt.

Germania Superior.

183. Aurelius Vicus.

In titulo anni 232, prope hodiernum »Oehringen« reperto, (Brambach C. I. Rh. 1551, 1561), »Aurelius Vicus« occurrit, qui anno 213 a Caracalla, cum Allemannis bellum inferret, conditus esse videtur (O. Keller; »Vicus Aurelius oder Oehringen zur Zeit der Römer«, Bonn, Winkelmannsprogramm 1871).

Galatia.

184. Ancyra = Antoniniana Ancyra.

Ancyra, Galatiae caput, in nummis Caracallae (Mionnet IV p. 384,60) »Antoniniana« audit, quod cognomen oppidum sibi in honorem illius imperatoris, a quo privilegium acceperat, imposuit; post Caracallam autem »Antoniniana« cognomen non iam occurrit.

Mysia.

185. Cyzicus = Antoniniana Aurelia Cyzicus.

Cyzicus, ad Propontidem sita, in Caracallae honorem sibi cognomina »Aureliam Antoninianam« imposuit, quorum »Aurelia« cognomen etiam in Philippi iunioris nummis occurrit (Mionnet II p. 546 sq.).

Cilicia.

186. Antoninopolis = Adana Hadriana Severiana Macriniana Maximiniana.

Adana, ad Sarum sita, iam ab Hadriano et Septimio cognomina »Hadrianae«, »Severianae« acceperat (Mionnet III p. 562). Caracalla autem oppido sollemne cognomen »Antoninopolis« imposuit, quod in Juliae Domnae nummis reperitur. Postea Adana etiam a Macrino »Macriniana« et a Maximino »Maximiniana« vocata est, quorum utrumque cognomen in Gordiani nummis non iam occurrit. Ex illo imperatore enim usque ad Valerianum oppidum sollemniter modo »Hadriana Adana« audiebat.

Mesopotamia.

187. Antoninopolis = Maximianopolis = Constantia = Tela.

Tela, inter Edessam et Nisibim sita, anno 216/217 a Caracalla, qui tum illis in regionibus contra Parthos bellum gessit, ex se »Antoninopolis« vocata est, quod nomen occurrit apud Ammianum (XVIII 9,1), Theophanem (36,11; „Ἀντωνιούπολις“), in chronico Edesseno (c. 20: »Antipolis«). Postea autem anno fere 298 Galerius Maximianus, qui tum Persas vicit, oppidum ex se »Maximianopolim« nominavit (Malalas chron. XII p. 312, 323 Bonn), quod nomen non diu usitatum erat. Anno 340 enim Constantius II oppidum, quod restituerat, »Constantiam« vocavit (Theophan 36,10; chron. Edess. 20). Malalas false oppidum a Constantino Magno »Constantinam« esse vocatum refert, sed obstant gravia testimonia supra allata. »Constantia« forma, quam solam rectam esse Henr. Gelzer ostendit, occurrit apud Hieroclem (714), Georgium Cyprium (894), Theophanem (36,11). Usitatior sed falsa forma nominis »Constantina« reperitur in itineribus Hierosolymitanis (p. 150,14 Geyer), in notitia dignitatum (or. XXXVI), in actis conciliorum (Mansi VII 141, 325, 332), apud Procopium (de aedif. II 6; de bell. Pers. I 8,22; II, 13), Theophylactum (saepe), Ammianum (XVIII 7,9), Malalam (II p. 10, ed Ox.) Ex anno 340 igitur oppidum apud Romanos semper »Constantia« (Constantina) audiebat.

Mauretania.

188. Aurelianense castellum.

Aurelianense castellum, in Mauretania situm, anno 213 aedificatum et in Caracallae honorem nominatum est, ut apparet ex titulo, ibi reperto (C. I. L. VIII 8425).

Caracalla praeterea Olbae, Byzantio, Nicomediae, Aegis, Tarso, Amasiae sollemne cognomen »Antoninianae« imposuit, quod non nisi in nummis reperitur (Mionnet III p. 542, 631; II p. 336 sq.; Head H. N. p. 232, 444, 610).

Opellius Macrinus 217—218.

A. Coloniae, quae ex Macrino nominatae sunt.

Edessa, col. Marcia Aurelia Antoniniana, a Macrino privilegio aucta esse videtur, cum in nummis illius imperatoris cognomina „Opelliana Macriniana" occurrant (Mionnet VIII p. 399 sq.)

B. Cetera oppida, quae ex Macrino nominata seu cognominata sunt.

Cilicia.

189. Macrinopolis = Aegae Hadriana Commodiana Severiana Antoniniana Alexandropolis.

Aegae oppidum, in sinu Issico situm, iam ab Hadriano, Commodo, Septimio, Caracalla cognomina: „Hadrianae, Commodianae, Severianae, Antoninianae" acceperat. Macrinus autem oppidum, quod fortasse beneficiis donavit, „Macrinopolim" vocavit, quod nomen in nummis illius et Diadumeniani et Alexandri (Mionnet III p. 542 sq.) occurrit. Postea Alexander Severus sollemne cognomen „Alexandropolis" adiecit, quod tantum in illius nummis reperitur, cum „Severiana" et „Hadriana" cognomina etiam sub Gordianis occurrant.

Macrinus praeterea Adanae et Tarso, quae fortasse ab illo privilegia acceperant, „Macrinianae" cognomen imposuit, quod tantum illo imperante in nummis occurrit (Head H. N. p. 598, 617; Mionnet III p 631).

Aurelius Antoninus Elagabalus Pius 218 - 222.

A. Coloniae, quae ex Elagabalo sollemnia cognomina acceperunt.

Syria.

157. Sidon = col. Aurelia Pia Metropolis Sidon.

Sidon, Tyri aemula urbs, ab Elagabalo, qui Tyro coloniae ius ademerat, ut modo vidimus, pro illa urbe coloniae dignitatem

atque ius Italicum accepisse videtur[1]). In Elagabali et Alexandri pummis enim Sidon audit: „col. Aurelia Pia Metropolis Sidon"; nuae cognomina omnia ad Elagabalum, qui et „Pius" appellabatur, qertinent; praeterea, ut Tyrus impia, ita Sidon pia erga illum fuerat.

B. Cetera oppida
ulla num ex Elagabalo nominata sint, non constat.

Alexander Severus 222—235.

A. Coloniae, quae ex Alexandro nominatae sunt.

Italia.

158. A b e l l i n u m = c o l. V e n e r i a L i v i a A u g u s t a A l e x a n d r i a n a A b e l l i n u m.

Abellinum, Hirpinorum oppidum, quod a Benevento in meridiem vergebat, a Sulla colonia veteranorum factum est, ut apparet ex „Veneria" cognomine, quod in titulo anni 240 (C. I. L. X 1117) occurrit et ad Sullam pertinere videtur; in coloniarum libro (p. 229) quoque lege Sempronia eo veteranos esse deductos refertur[2]). In titulo citato oppidum pleno nomine audit: „col. Veneria Livia Augusta Alexandriana Abellinatium." Cognomen „Augusta" non ad Augusti deductionem potest pertinere, cum Plinius (III 105) oppidum nondum coloniam dicat. O. Cuntz[3]) false ultimis Augusti annis, vel Tiberio imperante coloniam esse deductam censet. Potius Alexander Severus Sullanae „coloniae Veneriae" cognomina „Augustae Alexandrianae" imposuisse videtur, qui eadem cognomina coloniae Marianae „Uchi" dedit. Quo „Livia" cognomen pertineat, non liquet. Fortasse de M. Livio Druso, qui anno 91 legem de coloniis deducendis pertulit, cogitandum est (Appian. l. c. I 35).

Arabia.

159. B o s t r a = c o l. N o v a T r a i a n a A l e x a n d r i a n a M e t r o p o l i s B o s t r a.

Bostra, quae a Genesara lacu in orientem spectabat, ab Augusto muro cinctum (Malalas IX p. 223) Bonn) et a Traiano anno 105 auctum est (chron. Pasch. p. 472 Bonn); indeque Bostreni aeram ducunt. Traianus castellum ex se nominavit:

---

[1]) Eckhel, D. N. III p. 371.
[2]) Th. Mommsen, Hermes XVIII p. 164, 185.
[3]) De Augusto p. 32.

„Novum Traianum“; atque ex Hadriano usque ad Elagabalum oppidum in nummis audit: „Nova Hadriana Bostra“ (Head H. N. p. 686). Septimius Severus deinde Bostrenis oppidi ius dedit (Photius Bibl. p. 347 Becker) et Alexander coloniae ius adiecit una cum „Alexandrianae“ cognomine, quod in Alexandri et Mamaeae nummis (Mionnet V p. 583) occurrit; ex Philippo autem usque ad Gallum oppidum in nummis vocatur modo: „col. Metropolis Bostra“; a Philippo igitur Bostra Arabiae provinciae metropolis facta est.

Africa.

160. Uchi Maius = col. Mariana Augusta Alexandriana Uchi Maius.

Uchi vel Uci oppidum, quod Ptolemaeus (IV 3,37) ab Hadrumeto non multo distare refert, ubi situm fuerit, pro certo explorari nequit. Marius eo veteranos viritim deduxit (Aurel. Vict. de viris illustr. c. 73) et coloniam ex se vocavit „Marianam“. Postea Severus Alexander Uchos, quod oppidum Augusti aetate municipium civium fuerat (Plinius V 29), coloniae iure donavit. Quo ex tempore oppidum sollemniter audiebat: „col. Mariana Augusta Alexandriana Uchi Maius (C. I. L. VIII 15450, 15454, 15455) vel: „col. Augusta Alexandriana Uchi“ (l. c. 15447) vel quarto saeculo modo: „col. Uchi Maius“ (l. c. 15451, 15452). „Augustae“ cognomen hic quoque non ad Augusti deductionem pertinere ex Plinii verbis (l. c.) apparet.

B. Cetera oppida, quae ex Alexandro Severo nominata seu cognominata sunt.

Adana et Aegae, Ciliciae oppida, ab Alexandro sollemne cognomen „Alexandropolis“ acceperunt (Head H. N. p. 598; Mionnet III p. 542), quod non nisi in illius imperatoris nummis occurrit.

Preaterea Alexander Amasiae et Tarso fortasse beneficiis donatis, „Alexandrianae“ et „Alexandriae“ cognomina imposuit; Magnesia ad Sipylum quoque fortasse publicum „Alexandriae“ cognomen accepit (Head H. N. p. 424, 617, 551).

Julius Maximinus 235–238.

A. Coloniae, quae ex Maximino Thrace cognominatae sunt.

Lycaonia.

161. L a o d i c e a = c o l. J u l i a A u s p i c a t a C l a u d i o l a o d i c e a.

Laodicea Combusta inde a Claudii temporibus in nummis „Claudiolaodicea" audit, ut supra vidimus; sub Maximino oppidum coloniae ius accepit, cuius in nummis reperitur: „col. Julia Auspicata Claudiolaodicea." (Head H. N. p. 596).

B. Cetera oppida, quae ex Maximino publicum cognomen acceperunt.

Adana, fortasse a Maximino beneficiis affecta, cognomen „Maximinianae" sibi imposuit, quod tantum in illius imperatoris nummis occurrit (Head H. N. p. 598; Mionnet III p. 563).

M. Pupienus Maximus 238.

Pupienus Maximus Adanae cognomen publicum „Maximiae" imposuit, quod tantum in illius nummis reperitur (Head H. N. p. 598).

M. Antonius Gordianus 238–244.

B. Oppida, quae ex Gordiano cognominata sunt.

Caria.

190. A p h r o d i s i a s = G o r d i a n a V a l e r i a n a A p h r o d i s i a s.

Aphrodisias, quae ex celebri templo Veneris nominata est, a Maeandro paulo in meridiem vergebat. Oppidum, quod ab Attalo cognomen „Attaliae" acceperat, a Gordiano III fortasse privilegiis auctum est; in illius imperatoris nummo enim (Mionnet III p. 329) sollemne cognomen „Gordiana" occurrit, quod post Gordianum non iam usurpabatur.

M. Julius (Sergius) Philippus 244—249.

A. Coloniae, quae ex Philippo Arabe sollemnia cognomina acceperunt.

Thracia.

162. Philippopolis = col. (Julia) Philippopolis.

Philippopolis a Philippo II, Macedonum rege, condita est, non a Philippo, Romanorum imperatore, ut Eusebius (chron. II p. 181 Schoene) false ad annum 248 refert. Oppidum potius, seu casu, seu consulto, ab imperatore, cui idem nomen atque conditori erat, coloniae ius accepit atque sine dubio „col. Julia" nominata est, ut ceterae coloniae, a Philippo privilegiis auctae In nummis quidem (Eckhel II p. 44) modo: „col. Philippopolis" reperitur, in quibus saepe cognomina, ab imperatoribus imposita, omittuntur.

Syria.

163. Neapolis = Flavia Aurelia col. Julia Sergia Neapolis.

Neapolis, quae prius „Sichem" audiebat, in nummis ex Titi temporibus usque ad Maximinum (Mionnet VIII p. 344) vocatur: „Flavia Neapolis." Titus igitur oppido cognomen „Flaviae" imposuit; Caracalla deinde „Aureliae" cognomen adiecit, quod tantum in illius nummis reperitur. Anno 244 autem Philippus Arabs, priusquam Romam se conferret, oppido coloniae ius una cum cognominibus „Sergiae Juliae" dedit, quae non nisi sub Philippo occurrunt. Postea autem urbs usque ad Volusianum modo „Flavia Neapolis" audit, nulla coloniae mentione facta. Ex „Sergiae" cognomine Philippum sibi nomen „Sergii" imposuisse apparet, quod alibi non refertur.

Praeterea Nisibis, colonia Septimia, a. 244 a Philippo cognomen „Juliae" accepit.

B. Cetera oppida, quae ex Philippo nominata sunt.

Petraea Arabia.

191. Philippopolis.

Philippopolis, quae a Bostra in septemtrionem vergebat, a Philippo Arabe intra annos 244—245, priusquam Romam venit, coloniae loco condita est (Aurel. Vict. de Caes. 28,1). Praeterea oppidum occurrit apud Cedrenum (I p. 451,22, Bonn), Zonaram (I p. 625), Hieroclem (722), Georgium Cyprium (1069), Leonem Grammaticum (p. 76,6), Hieronymum (chron. p. II 181, Schoene), qui Philippopolim Thraciae cum hoc oppido confudisse videtur. In nummis Philippi et filii eius (Head H. N. p. 687) atque in titulis (Waddington 2019, 2072) Philippopolis „colonia" vocatur. Philippopolim non „Ormam" hodiernum vicum, ubi tituli allati inventi sunt, sed hodiernam „Sohbam" esse Waddington suo iure (ad 2019) censet. Oppidum etiam sexto saeculo ita audiebat (not. episc. I 1024).

Vibius Trebonius Gallus
251—253,

A. Coloniae, quae ex Gallo cognominatae sunt.

Italia.

164. Perusia = col. Vibia Augusta Perusia.

Perusia, prope Tiberim sita, sub Augusto propter lucum sacrum, Augusto ibi dedicatum, „Augustae" cognomen accepit (C. I. L. XI 1922, 1923, 1924, 1929), sed colonia ab Augusto eo deducta non est; Plinius enim (III 52) oppidum coloniam non dicit. Vibius Trebonius Gallus autem, qui ibi natus erat (C. I. L. XI 1926), oppido ius coloniae una cum „Vibiae" cognomine dedit indeque Perusia sollemniter: „colonia Augusta Vibia" vocabatur (C. I. L. XI 1930, 1931).

Licinius Valerianus
253—260.

Valerianus Aphrodisiadi cognomen „Valerianae" imposuit, quod non nisi in illus imperatoris nummis reperitur (Head H. N. p. 1520).

Licinius Egnatius Gallienus
260—268.

A. Coloniae, quae ex Gallieno cognominatae sunt.

Italia.

165. Verona = col. Augusta Nova Gallieniana.

Verona, ad Athesim flumen sita, apud Plinium (III 132) municipium, apud Tacitum (hist. III 8) a. a. 69 autem colonia dicitur. In titulis Verona primo anno 265 colonia vocatur (C. I. L. V 3229), ubi reperitur: „col. Augusta Nova Gallieniana.“ Si „Augusta“ cognomen ad Augusti deductionem pertineret, Plinium oppidum fuisse dicturum „coloniam“ puto. Cum autem „Augusta“ solum cognomen non nisi ab Augusto, de quo hic cogitandum non est, possit impositum esse atque cum Gallienus saepius „Augustae“ cognomen una cum „Liciniae Gallienianaeve“ coloniis imposuerit, Verona a Gallieno coloniae ius accepisse videtur una cum cognominibus „Augustae Novae Gallienianae.“ Tacitus igitur hac in re erravit, item atque de Augusta Vindelicum ut supra vidimus. Verona anno 265, vel paulo ante, coloniae ius accepit.

Africa.

166. Thugga = col. Licinia Septimia Aurelia Alexandriana Thugga Devota.

Thugga, quae ab Ammaedara in orientem vergebat, apud chorographos fere semper „Tucca“, in titulis autem „Thugga“ audit. Oppidum intra annos 209—217 municipium factum est et in honorem Septimii filiique collegae nominatum est: „Septimium Aurelium Devotum“ (C. I. L. VIII 1484, 1500); paulo post Alexander Severus, qui oppidum fortasse privilegio auxit „Alexandrianae“ cognomen adiecit. Gallienus autem anno 261 municipio ius coloniae et cognomen „Liciniae“ dedit, quod in sollemni titulo coloniae primo loco occurrit. (C. I. L. VIII 1487; p. 173). Pleno nomine igitur oppidum ex anno 261 audiebat: „col. Licinia Septimia Aurelia Alexandriana Thugga Devota“, quibus ex cognominibus Diocletiani aetate solum „Devota“ cognomen usurpabatur (C. I. L. VIII 15516).

167. Thubursicum = col. Licinia Augusta Septimia Severiana Aurelia Antoniniana Devota Thubursicum.

Thubursicum, prope Thuggam situm, fere eadem, atque Thugga, fortuna usum est; Septimio Severo enim et Caracalla imperantibus intra annos 209—212[1]) municipium factum est et ab utroque imperatore duo cognomina accepisse videtur, nimirum a Septimio: „Septimium Severianum“ atque a Caracalla: „Aurelium Antoninianum“, quae non omnia in titulis exhiberi solent. Reperimus enim modo: „municipium Severianum Antoninianum“ (C. I. L. VIII 1427, 1439) aut: „Septimium Aurelium Severianum“ (l. c. 1426, 1438). Coloniae ius Thubursicum item atque Thugga a Gallieno accepit, sed tantum cognomina „Augusta Devota“ in titulis plane legi possunt (C. I. L. VIII 1430, 1437, 15258); lacuna autem est in uno titulo (l. c. 1437) intra „colonia“ et „Augusta“ verba, ita ut cognomen „Liciniae“ seu „Gallienianae“ supplendum esse videatur. Deductoris enim nomen gentile in coloniarum sollemnibus titulis primo loco exhiberi solet, ut modo vidimus.

B. Cetera oppida ulla Gallienus ex se non nominavit, nec cognominavit.

Domitius Aurelianus
270 - 275.

A. Coloniae ullae ex Aureliano cognominatae esse non videntur.

B. Cetera oppida, quae ex Aureliano nominata sunt.

Gallia.

192. Aurelianis = Orleans.

Cenabum oppidum, ad Ligerum situm, ab Aureliano anno 274, quo Galliam subiecerat, „Aurelianis“ nominatum est, quod nomen apud Gregorium Turonensem, in nummis Merovingicis, apud Ravennatem (IV 86) occurrit, cum in notitia Galliarum (IV 7): „civitas Aurelianorum“ et apud Sidonium Apollinarem (epist. VIII 15): „urbs Aurelianensis“ reperiatur. Ex „Aurelianis“ hodiernum nomen „Orleans“ exortum est.

---

[1]) G. Wilmanns, C. I. L. VIII p. 173.

Moesia Superior.

193. Aureliana.

Aureliana castellum, prope Romulianum situm, ab Aureliano, qui ex Dacia Ripensi oriundus erat, aedificatum (Procop. d. aed. p. 285 Bonn) et ex illo „Aureliana" vocatum est, quod nomen sexto saeculo etiam volgare erat.

Praeterea Aureliane, Mysiae oppidum, ad Euenum situm, ab Aureliano conditum est (Pauly Wissowa II p. 2427).

Aurelius Valerius Diocletianus 284—305.

A. Coloniae, quae ex Diocletiano cognominatae sunt.

Capua, col. Julia Augusta Felix, a Diocletiano cognomina „Valeriae Concordiae" accepit (C. I. L. X 3867).

B. Cetera oppida, quae ex Diocletiano nominata sunt.

Thessalia.

194. Diocletianopolis.

Diocletianopolis, Thessaliae urbs, quae inter Pharsalum et Metropolim sita erat, commemoratur apud solum Hieroclem (642), sexto igitur saeculo etiam ita audiebat. Postea oppidum a barbaris deletum esse videtur, cum in notitiis episcopatuum noniam occurrat.

Macedonia.

195. Diocletianopolis.

Diocletianopolis, inter Thessalonicen et Edessam sita, commemoratur in itinerario Antonini (p. 330), apud Hieroclem (635), Constantinum Phorphyrogennetum (de them. II 49), Procopium (de aedif. IV 3), Georgium Cyprium (471), in notitiis episcopatuum (VII 240, VIII 520, IX 431). Oppidum, a Diocletiano conditum, Justiniani aetate propter barbarorum invasiones ab incolis relictum erat (Procop. l. c.); postea autem rursus floruit atque decimo saeculo etiam occurrit.

Palaestina.

196. Diocletianopolis.

Diocletianopolis Palaestinae, episcopi sedes, non multo ab Anthedone aberat, atque secundum testimonia Hieroclis (719) et Georgii Cyprii (1012) fere intra Anthedonem, Eleutheropolim, Joppen oppida sita erat. Oppidum, quod praeterea apud Epiphanium (contra haeres. p. 318 Dindorf) et in notitiis episcopatuum (V 93) commemoratur, a Diocletiano conditum est atque sexto saeculo certe etiam ita audiebat.

Aegyptus.

197. Diocletianopolis = Apollinopolis.

Diocletianopolis, in eparchia Thebaidis intra Copton et Thebas sita,[1]) quae antea Apollinopolis Minor audiebat, commemoratur apud Hieroclem (732), Georgium Cyprium (773). Urbs quae ex Diocletiano nominata est: „Diocletianopolis“, sexto, vel septimo saeculo etiam ita vocabatur.

Galerius Valerius Maximianus 293 (305) —311.

A. Coloniae nullae ex Galerio cognominatae sunt.

B. Cetera oppida, quae ex Galerio Maximiano nominata sunt.

Thracia.

198. Maximianopolis = Porsulae.

Porsulae oppidum, quod ab Abdera in orientem vergebat atque prope oram maritimam situm erat, commemoratur in itinerario Antonini (321, 331), in tabula Peutingeriana, apud Hieroclem (634), Constantinum Porphyrogenetum (de them. 47,6), Procopium (de aedif. IV 11), Ammianum (27. 4, 13), Georgium Cyprium (50), in notitiis episcopatuum (VI 54, VII 50, VIII 54). In itinerario

[1]) H. Gelzer, ad Georg. Cypr. p. 137.

Antonini (p. 321) legimus haec: „Porsulae, quod modo: Maximianopolis.“ Illa aetate igitur, qua itinerarium Antonini confectum est, scil. Diocletiano imperante, oppidum etiam „Porsulae“ audiebat, paulo post autem „Maximianopolis“ nomen accepit, ut apparet ex adiectis verbis: „quod modo Maximianopolis“ Galerius Maximianus, qui item Antoninopolim = Telam ex se „Maximianopolim“ nominavit, Porsulis quoque post annum 305 illud nomen videtur imposuisse, quod apud Romanos semper usitatum erat.

Pamphylia.

199. Ormeleis = Maximianopolis.

Ormeleis vel Ormele oppidum, quod a Cibyra in septemtrionem et in orientem vergebat,[1] a Maximiano Galerio post annum 305 „Maximianopolis“ vocatum est, quod nomen apud Hieroclem (681), Georgium Cyprium (440), in patrum Nicaenorum nominibus (V 158, VIII 162, alibi), in notitiis episcopatuum (III 396, alibi) commemoratur, igitur sexto atque septimo saeculis etiam usurpabatur.

Palaestina.

200. Maximianopolis.

Maximianopolis, inter Caesaream Palaestinam et Scythopolim oppida sita, item atque Maximianopolis-Tela, a Galerio illud nomen accepit, cum antea „Hadat-Rimmon“ (Hieronymus ad Zachar. 12) audiret. Maximianopolis commemoratur apud Hieroclem (586), Hieronymum (l. c.), Georgium Cyprium (1034), in itineribus Hierosolymitanis (19,19; 27,1 Geyer), in patrum Nicaenorum nominibus (V 22, I 30, alibi), in notitiis episcopatuum (V 115); illud nomen igitur apud Romanos semper volgare erat.

Aegpytus.

201. Maximianopolis = Caenepolis.

Maximianopolis, quae in Thebaide ad Nilum intra Copton et Tentyram sita erat,[2] antea „Caenepolis“ audiebat. Maximianopolis nomen, quod occurrit apud Georgium Cyprium (776), Hieroclem (731), in notitia dignitatum (or. XXXI 29, 48), Caenepoli a Maximiano Galerio intra annos 305—311 impositum esse videtur atque etiam sexto saeculo usitatum erat.

---

[1]) Ramsay, Asia Minor p. 173.
[2]) H. Gelzer, ad Georg. Cypr. p. 137.

Flavius Valerius Constantinus 306—337.

A. Coloniae, quae ex Constantino Magno cognominatae sunt.

Constantinus „coloniae Juliae Fanestri“ cognomen „Flaviae“ (C. I. L. XI p. 924), coloniae Juliae Hispello cognomina „Flaviae Constantis“ (C. I. L. XI 5265) imposuit. Praeterea „colonia Julia Paterna Arelate“ ex Constantino vocata est: „Constantina“ (C. I. L. XII p. 83).

B. Cetera oppida, quae ex Constantino Magno nominata sunt.

Thracia.

202. Constantinopolis = Antoninia Alexandria Sebaste Byzantium = Nova Roma.

Byzantium, magna urbs Thraciae, quae peropportune sita erat, usque ad Constantinum apud auctores semper ita audit. Septimius Severus oppidum, quippe quod Pescennii partes secutum esset, anno 196 expugnavit et magna crudelitate affecit. Postea autem Septimius, Caracallae adulescentis precibus commotus, iura et libertatem, urbi a. 196 adempta, restituit et Byzantium pulchris aedificiis ornavit (hist. Aug.: Carac. I 7; Zosim. I 8, II 30; chron. Pasch. I 495 Bonn). Tum fortasse, anno 197, oppidum sollemnia cognomina „Antoniniam Sebasten“ accepit, quae in nummis inde a Caracalla occurrunt (Head H. N. p. 232). Severus Alexander deinde, qui oppidum novis privilegiis auxisse videtur, cognomen „Alexandriae“ adiecit, quod in Gordiani nummis reperitur (Mionnet I p. 382). Constantinus Magnus, qui iam anno 324, Licinio victo, novum caput imperii Byzantii in urbe collocandi consilium ceperat, anno 326 oppidum novo muro cingere coepit, qui anno 330 confectus erat. Tum oppidum celebriter dedicatum et consecratum est atque nomen „Constantinopolis“ accepit, quod ex illo tempore semper usitatum erat. Vetus nomen Byzantium post annum 330 non prorsus intercidit, sed apud nonnullos auctores etiam reperitur. Publice oppidum ex anno 330: „Nova Roma“ vocabatur.

Syria.

203. Constantina = Antaradus.

Antaradus, quae in ora maritima sita erat, a Constantino Magno iterum condita et „Constantina“ nominata est (Theoph. Chron. 57,10 Bonn), quod nomen apud Hieroclem (716) occurrit, qui vetus nomen „Antaradi“ false proprii oppidi loco affert. Constantina nomen certe sexto saeculo etiam volgare erat, sed paulo post vetus nomen Antaradus rursus usurpabatur, quod in notitiis episcopatuum (I 979) occurrit.

Numidia.

204. Constantina = Cirta.

Cirta, quo Caesar coloniam deduxerat, quam nominavit: „Juliam Juvenalem Honoris et Virtutis“ (C. I. L. VIII 7041, 7071), anno 310 a Maxentii copiis deleta erat (Victor.: Caes. 40). Constantinus paulo post oppidum restituit et ex se „Constantinam“ (Vict. l. c.) nominavit, quod nomen inde apud Romanos semper usitatum erat. Hodie etiam oppidum audit: „Constantine.“

Fontes:

1. Corpus Inscriptionum Latinarum.
2. Eckhel: Doctrina Nummorum.
3. Mionnet: Description des médailles antiques.
4. Plinius, naturalis historia ed. L. Jahn.
5. Ptolemaeus, geographia ed. C. Fr. Nobbe.
6. Itinerarium Antonini imp. et itiner. Hierosol. ed. G. Parthey.
7. Hieroclis synecdemus, accedunt notitiae episcop. ed. G. Parthey.
8. Head: Historia Nummorum.
9. Georgius Cyprius, ed. H. Gelzer.
10. Notitia Dignitatum, ed. O. Seeck.
11. Tabula Peutingeriana.
12 Patrum Nicaenorum Nomina ed.: H. Gelzer, H. Hilgenfeld, O. Cuntz.

Vita.

Natus sum Johannes Assmann Hammoniae a. d. XVIII, Kal. Mai. anni MDCCCLXXXII patre Gustavo, matre Ida e gente Kuehl. Postquam prima elementa didici in schola privata, a vere anni MDCCCXCI usque ad autumnum anni MDCCCC Wandsbecki Matthiam-Claudium-gymnasium frequentavi, ubi testimonium maturitatis adeptus sum. Deinde Berolinum me contuli, litteris philologicis operam daturus; ibi per duo semestria versatus, autumno anni MDCCCCI litterarum sedem Jenensem petii. Berolini me docuerunt viri doctissimi H. Delbrueck, Diels, de Drygalski, Heinze, Helm, Kirchhoff, Klebs, Lenz, Paulsen, Scheffer-Boichorst †, E. Schmidt, de Wilamowitz-Moellendorf; Jenae: A Cartellieri, B. Delbrueck, Dove, Eucken, Gelzer, Goetz, Hirzel, Keutgen, Liebenam, Lorenz †, Mentz; proseminariis philologorum Berolinensi per bis sex menses, Jenensi per sex menses, interfui; philologorum seminarii Jenensis per quinque semestria auspiciis Gelzeri, Goetzii, Hirzelii sodalis fui ordinarius. Seminario historico Jenensi moderantibus Lorenzio et post mortem illius insignissimi viri Alexandro Cartellieri per septem semestria interfui; ad exercitationes historicas Gelzer, Keutgen, Mentz, geographicas Dove benigne aditum mihi concesserunt. Quibus viris humanissimis omnibus gratiam habeo quam maximam; praeter ceteros autem Henrico Gelzer, qui cum in aliis rebus, tum in hoc libello perficiendo benignissime me adiuvit.